DE
REBUS PHERAEIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE
LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
RITE IMPETRATIS
DIE III. M. IUNII A. MDCCCLXII.
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JULIUS LIEBINGER
BEROLINENSIS
DR. PHIL. ET MAG. ART. LIBERAL.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT
CAROLUS SCHIRLITZ, STUD. PHIL.
PAULUS ROTHMALER, STUD. THEOL.
MICHAEL FRIEDLAENDER, DR. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT H. S. HERMANN.

MATRI

OPTIMAE CARISSIMAE

MANIBUS

PATRIS DILECTISSIMI

SACRUM.

De rebus Pheraeis ita duobus capitibus egi, ut priore quaestiones nonnullas geographicas pertractarem, altero Pherarum historiam a fabulosis temporibus usque ad Thessaliam a Macedonibus superatam scribere conarer.

Primae dissertationis paragrapho, quae Pherarum topographiam continet, tabulam addidi, qua, quatenus fieri potuit, urbis imaginem praebendi periculum feci.

PHERAE



A. Collium Jugum ad septentrionem vergens.
BB. Duo vertices
C. Porta Larissaea
D. Tumulus castello munitus
E. Saxorum fragmenta
F. Jugum ad meridiem vergens
G. Flumen
H. Templi Castoris et Pollucis ruinae (?)
J. Hyperia fons
K. Campus excelsus
L. Lacus
M. Agri et horti

Murus bene servatus
„ *qui reliquiis agnosci potest*
„ *incertus*

CAPUT I.

§. 1.

Pherae, Thessaliae oppidum, septentrionem versus ad lacum Boebeidem spectant (Eurip. Alc. 587; Hom. Il. B. 711; Strabo p. 436) orientem et meridiem versus ad sinum Pagasaeum, interjectis inter Pheras et Pagasas nonaginta stadiis, (Strabo p. 436) orientem versus ad Pelium.

Optime munitas fuisse ex hoc apparet, quod obsidionibus saepius vexatae sunt, (Demosth. περί τῶν ἐν Χερ. p. 104; Liv. XXXV. 9.) quibus prospere resistebant et arce, quae iis imminebat (Demosth. de Hal. p. 84; Diod. XX. 110) et duplicibus muris, quibus erant circumdatae. Duos enim muros fuisse intelligitur ex Livio, (XXXV. 9) cum narrat, praesidium urbis, relicto exteriore circulo muri in ulteriorem partem urbis concessisse, cui brevior orbis munitionis circumjectus fuerit.

A septentrionibus urbs collium jugo (A) continetur, (Liv. XXXIII. 6; Polyb. XVIII. 2) ex quo duo vertices (BB) ut turres eminebant, qui urbi propugnaculo erant, cum e septentrione oppugnabatur. Hoc jugum septentrionalis moenium pars sequebatur, (Leake North. Greece IV. p. 439) quem exteriorem muri circulum fuisse puto, quum quia in planitie trans montes murum fuisse haud verisimile est, tum quia Leakius trans collium jugum murum se vidisse non commemorat. Quibus montibus multo inferius urbs ipsa sita est, ut, qui a septentrionibus accedat, nihil nisi murum queat adspicere, urbem demum porta Larissaea (C) quae inter ambos vertices in medio jugo erat, transgressa. Quo facto advenienti tota urbs tam subito in prospectu est, ut spectaculum mirabile praebeat. (Leake N. G. IV. p. 439).

Murum in septentriones spectantem partim bene servatum esse partim reliquiis posse agnosci Leakius narrat; eodem auctore ad occidentem et meridiem versus exigua tantum vestigia, ad orientem versus, unde planities patet, ne haec quidem inveniri possunt.

Inter septentrionale, quod supra commemoravimus, jugum (A) et id, quod ad meridiem vergit (F), cavum esse dicit Leakius; ex quo inter occidentalem et septentrionalem hodiernae urbis partem tumulum (D) eminere, parvo castello, Graecorum more solide aedificato, munitum. Quam quidem Pherarum arcem, quam Demosthenes (De Hal. p. 84) et Diodorus Sicu-

lus (XX. 110) commemoraverunt, fuisse verisimillimum est; utrum autem collis ille Chalcodonium fuerit, sub quo Pheras positas fuisse Apollonius Rhodius (Argon. I. 49) ait, an Chalcodonii nomen ad summum verticem Caradagh montis, quinque millia passuum ad occasum et meridiem spectantis, pertinuerit, sicut Leakius opinatur, nullo modo dijudicari potest. At ne hoc quidem certum est, utrum arx ultra muros an inter ambos muros fuerit sita. Citra enim eam non fuisse constat, quia Leakius muros citra arcem exstructos invenit. Ultra autem muros exstitisse non puto, quia arx muris muniri solebat. Nihil igitur restat, nisi ut arcem inter ambos muros fuisse exstructam statuamus. Quae sententia Livii loco (XXXVI. 9), quem jam attulimus, adjuvatur. Pherarum enim incolae, si exteriore muri circulo expugnato etiamtum interiore orbe defensi sunt, capto exteriore muro, castellum captum nondum esse statuendum est. Praeterea praealto flumine (G) septentrionali parte urbem fuisse munitam Leakius dicit, qui ultra hoc flumen et in via Larissaea saxa quadrata et Doricarum fragmenta columnarum (E) invenit. Quas quum templi extra urbem siti ruinas fuisse apertum sit, putabit quispiam, hoc loco Ἀθηνᾶν Ἰτωνίαν cultam esse, cujus in templo, inter Pheras et Larissam sito, Pyrrhum scuta ab hostibus capta collocasse apud Pausaniam (I. 13, 2) legimus. Quam conjecturam haud probabilem esse du Mesnil (dissertatio de rebus Pharsalicis cap. II. §. 9) nobis persuasit, cum Larissam Cremastam hoc loco a

Pausania dici docuit. Ab orientali duorum, qui in septentrionem spectant, verticum (BB) prospicienti ex meridie campus excelsus (K) patet demissior quidem jugo ad septentrionem vergente, editior tamen planitie, quem campum urbis partem fuisse nonnulla dispersa probant saxa, quae antiqui muri quatenus pertinuerint indicant. Sub radicibus Hyperia fons (I) oritur, quem media in urbe fluxisse scimus. (Strab. p. 439; Schol. Pind. Pyth. IV. 220) Cujus aquae ex compluribus rupis rimis stillantes subito in unum rivum confluunt, cui mox alius miscetur ex lacu (L) a meridie excurrens. Hoc modo aucta Hyperia per agros crebris arboribus consitos et hortos, (M) quos jam Polybius (XVIII. 3) et Livius (XXXIII. 6) commemorant, fertur et in Boebeidem lacum influit.

Supra principem fontem in monte muri inflexi reliquias, (H) adversus aquam concavi, Leakius invenit, quas parvi et rotundi templi ruinas esse putat. Itaque hoc loco Castoris et Pollucis templum fuisse conjiciam, prope quod in popina Philippus, Macedonum rex, Atheniensium legatis praesentibus, se pacis conditiones servaturum esse juravit. (Dem. πεϱ. παϱαπϱ. p. 390).

§. 2.

Quaeritur, num „Φεϱαὶ ἀϱχαῖαι," quas Stephanus Byzantius octo stadia a Pheris abfuisse tradit, re vera exstiterint. Quod quidem du Mesnil (de reb. Phars. d. 5, 6) negat, quamquam Livius (XXXII. 13) Palae-

pharum oppidum affert, quod mea quidem opinione fieri non potest, quin eadem urbs sit atque illae Φεραὶ ἀρχαῖαι.

Iam ambo loci examinandi nobis sunt: Liv. XXXII. 13:

„Ita evastata sunt oppida (a Philippo ex Epiro in Macedoniam proficiscente) Phacium, Iresiae, Euhydrium, Eretria, Palaepharsalus.“ Palaepharsalum hoc loco conjecturam esse du Mesnil ipse concedit, qui has codicum scripturas affert: Palaepharus Lov. I. Palaephariis Voss. Palaeforus Hearni L. Pharus Lov. 2. Palaepharsalus Bamberg. Bambergensis scriptura pro emendatione videtur habenda esse et Palaepharus meliorum codicum auctoritate esse fulta. Leakius (N. G. IV. p. 493) Palaepharum hoc loco legit et veteres Pheras esse accepit, quia hoc modo facillimum est intellectu, quod iter Philippus fecerit. Hoc du Mesnil minime probabile esse censet, primum quia Pherae plurali tantum numero inveniantur, deinde quia per brevem semper vocalem efferantur, Pharus autem nisi ex longo e oriri non possit, denique quia de novis veteribusque Pheris nihil umquam proditum sit, nisi a Stephano Byzantio. Itaque Palaepharsalum legendum esse censet. Qua in sententia eum falli putamus. Quam admirabile enim iter fecisset Philippus, si Euhydrio, Pharsalo relicta, Eretriam profectus Eretria Pharsalum rediisset? Neque enim alio Livii loco (XXXVI. 13) hoc refutari potest, quo omnino urbes promiscue nominari apertum est, quum nostro loco

certa oppidorum series teneatur. At grammatica non concedit ut Palaepharum accipiamus: Pherae plurali tantum numero inveniuntur. At ex alio numero Graeco nonne identidem alium Latinum numerum fieri videmus? Quid? quod apud Graecos „Παγασαί“ apud Romanos „Pagasa,“ apud Graecos „Κύμη“ apud Romanos „Cumae“ legimus? At declinatio commutatur? Ne hoc quidem opponi potest, nam Latine „Ancona“ dicimus, Graece „Ἀγκών.“ Huc accedit quod Φεραί componuntur cum palae, qua re et declinationis et numeri commutatio adjuvatur. Iam vero Pherae per brevem semper vocalem efferuntur et Pharus nisi ex longo e oriri non potest. At nullo modo constat, vocalem a in Palaepharo ex e ortam esse. Immo multo verisimilius est: „φαρ“ antiquiorem formam esse, quae postea in verbo Graeco „Φεραί“ et in verbo Latino „Pherae“ cum φερ commutata, in Palaepharo autem retenta sit. Nam vocalem a omnino antiquiorem esse et saepe in e transire satis notum est; antiquiorem autem formam in verbo Graeco recentiori cessisse, in verbo Latino servatam esse, neminem offendet, qui exempla examinaverit ad hanc rem probandam a Leone Meyer (vergleichende Grammatik der griechischen und lateinischen Sprache pag. 98—102) allata (μέγας — magnus, κεφαλή — caput, τέτταρες — quattuor etc.).

Sed etiamsi Pharum recentiorem formam esse accipiamus et du Mesnilio concedamus a nisi ex longo e oriri non posse, tamen Palaepharum defendere possimus. A enim ortum esse potest ex η in Φηρητιάδης et Φηραί.

Nam du Mesnil ipse Admetum apud Homerum Φηρητιάδην pro Φέρητος filio dici, non negat. Qui quum apud Sophoclem (fr. Λήμνιαι Nauck 353) Φερητίδης nominetur, hujus verbi quantitatem certam non esse constat. Itaque, quamquam Thessaliae urbem semper Φεραί numquam Φηράς dici verisimile est, tamen fieri potuit, ut Romani, longa vocis derivatae vocali ex poetis cognita, ipsius urbis quantitatem commutarent, commoti fortasse etiam quantitate urbis Achaicae Φαραί, quam nescio an cum urbe Thessalica confuderint.

Grammaticis igitur causis Palaepharum remotam esse nego; quod autem ad extremam, quam du Mesnil protulit, causam attinet, de novis veteribusque Pheris nihil umquam proditum esse nisi a Stephano Byzantio, huius auctoritatem sufficere ad Palaephari scripturam probandam statuo. Stephanus Byzantius sub voce Φεραί dicit: „Φεραὶ πόλις Θεσσαλίας ἀπὸ Φέρητος τοῦ Κρηθέως . . . . . εἰσὶ καὶ ἄλλαι Φεραί ἀρχαῖαι τῶν νῦν Φερῶν ἀπέχουσαι στάδια ὀκτώ. Quem locum quod du Mesnil se non percipere fatetur admiror. Mihi enim locus ipse tam perspicuus videtur, ut explicatione non egeat; quae autem du Mesnil ad locum explicandum affert, me percipere non posse fateor. Stephanus duas urbes, quibus Pherarum nomen fuerit, se novisse dicit, alteram a Pherete conditam sua aetate adhuc exstitisse, alteram Φερὰς ἀρχαίας nominatam esse. Illis a Pherete conditis, ipsis igitur antiquis Pheris has etiam antiquiores opponi, quamquam offensionis aliquid habet, intelligi tamen potest.

§. 3.

Thessaliam in quatuor tetrades, Phthiotidem, Thessaliotidem, Pelasgiotidem, Histiaeotidem (Str. 430) ab Aleua Rufo (Harpocr. ad voc. *τετραρχία*) (fr. hist. Did. Hellan. fr. 25) divisam fuisse notum est. Quarum et de finibus valde dubiis et de ratione consilioque quum uberi usegerit du Mesnil (p. 11, p. 24), hoc loco nihil quaeritur nisi ad quam tetradem Pherae referendae sint. Atque Pelasgiotidi quidem eas tribuendas esse per se appareret neque ullis indigeret argumentis, nisi Leakius, clarissimus geographus, ab hac sententia prorsus abhorreret. Hic enim (N. G. p. 399) Pheras Thessaliotidis urbem dicit. Itaque nostrum est argumentis probare, eas ad Pelasgiotidem referendas esse:

Strabo (p. 436) dicit: *Ἑξῆς δὲ τοὺς ὑπ' Εὐμήλῳ καταλέγει (Ὅμηρος) τὴν συνεχῆ παραλίαν, ἥπερ ἐστιν ἤδη Μαγνησίας καὶ τῆς Πελασγιώτιδος γῆς. Φεραὶ μὲν οὖν εἰσι πέρας τῶν Πελασγικῶν πεδίων πρὸς τὴν Μαγνησίαν, ἃ παρατείνει μέχρι τοῦ Πηλίου σταδίους ἑκατὸν ἑξήκοντα.*

Homeri autem locum, quem Strabo interpretatur, invenimus Il. II, 71:

Οἳ δὲ Φερὰς ἐνέμοντο παραὶ Βοιβηΐδα λίμνην
Βοίβην καὶ Γλαφύρας καὶ ἐϋκτιμένην Ἰαωλκὸν
Τῶν ἦρχ' Ἀδμήτοιο φίλος παῖς ἕνδεκα νηῶν,
Εὔμηλος . . . .

Vel ex his locis sequitur, ut Pherae in Pelasgiotide sitae fuerint. Quae enim urbes Eumeli regnum effecerint, eas Pelasgiotidis fuisse Strabo tradit. Atqui Pherae Eumeli imperio subjectae erant. Simplici

igitur syllogismo probatum est, Pheras Pelasgiotidis oppidum fuisse. Quae sententia confirmatur iis, quae apud Strabonem p. 441 legimus:

Διὰ δὲ τὸ ἀναμὶξ οἰκεῖν Σιμωνίδης Περραιβοὺς καὶ Λαπίθας καλεῖ τοὺς Πελασγιώτας ἅπαντας τοὺς τὰ ἑῷα κατέχοντας τὰ περὶ Γυρτῶνα καὶ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Πηνειοῦ καὶ Ὄσσαν καὶ Πήλιον καὶ τὰ περὶ Δημητριάδα καὶ τὰ ἐν τῷ πεδίῳ Λάρισσαν, Κραννῶνα, Σκοτοῦσσαν, Μόψιον, Ἄτρακα καὶ τὰ περὶ τὴν Νεσσωνίδα λίμνην καὶ Βοιβηΐδα.

Hoc loco Strabo *τὰ περὶ τὴν Βοιβηΐδα λίμνην* Pelasgiotidis partem effecisse dicit, Pheras autem sitas fuisse *παραὶ Βοιβηΐδα λίμνην* jam vidimus (Hom. Il. B. 711. Eurip. Alc. 587. Strab. 436). Accedit, quod Pelasgiotidis urbes esse traduntur et Scotussa ab occidente et Demetrias ab oriente sitae itaque Pheras quoque inter duas urbes medias huius tetradis fuisse oppidum elucet.

Omnem denique dubitationem tollit Strabo p. 443:

εἶναι δὲ τὸ νῦν καλούμενον Πελασγικὸν πεδίον, ἐν ᾧ Λάρισσα καὶ Γυρτώνη καὶ Φεραὶ καὶ Μόψιον καὶ Βοιβηῒς καὶ Ὄσσα καὶ Ὁμόλη καὶ Πήλιον καὶ Μαγνῆτες.

At qua causa Leakius commotus est, ut Pheras Thessaliotidis urbem esse putaret? Nescio an Strabonis loco (p. 435) et Homeri (Il. II. 734):

Strabo:

Ταῦτα δ' ἐστὶ τῆς Θετταλιώτιδος μιᾶς τῶν τεσσάρων μερίδων τῆς ὅλης Θετταλίας ἧς ἦν καὶ τὰ ὑπ' Εὐρυπύλῳ.

Homerus:

Οἳ δ' ἔχον Ὀρμένιον, οἵ τε κρήνην Ὑπέρειαν
Οἵ τ' ἔχον Ἀστέριον Τιτάνοιό τε λευκὰ κάρηνα
Τῶν ἦρχ' Εὐρύπυλος, Εὐαίμονος ἀγλαὸς υἱός.

Quibus ex locis Leakius ita nescio an concluserit: Hyperiam fontem in ea Thessaliae parte fluxisse, cui Eurypylus imperaverit, ait Homerus. Eurypyli regnum Thessaliotidis tetradis partem fuisse dicit Strabo. Hyperia igitur pertinuerat ad Thessaliotidem. Atqui Hyperia mediis Pheris fluit. Itaque Pherae Thessaliotidis oppidum fuerunt.

Hac ratione nostrae argumentationi plane contraria concludi potest, quia Homerus altero loco Pheras Eumelo, altero Hyperiam, quam mediis Pheris fuisse constat, Eurypylo attribuit. Qui loci repugnantes quomodo inter se conveniant quaerenti mihi una haec oblata est tollendae dubitationis ratio, inde repetenda, quod plures exstiterunt, quibus nomen erat Hyperiae, fontes. Quam sententiam testantur et scholiastae verba ad Pindarum (Pyth. IV. 221):

„Υπέρεια δὲ κρήνη ἐν ταῖς Φεραῖς . . . . εἶναι δέ φασι τκαὶ ἐν Λακωνικῇ Ὑπέρειαν κρήνην.“

et Strabonis (p. 431):

„Οἱ δ' εἰπόντες πόλιν Φαρσάλιοι μὲν δεικνύουσιν ἀπὸ ἑξήκοντα σταδίων τῆς ἑαυτῶν πόλεως κατεσκαμμένην πόλιν ἣν πεπιστεύκασιν εἶναι ἣν Ἑλλάδα καὶ δύο κρήνας πλησίον, Μεσσηΐδα καὶ Ὑπέρειαν.“

Neque enim Hyperia, quae hoc loco dicitur, eadem esse potest, quam Strabo (p. 439) Pheris fluere tradit; hanc enim Leakius vidit non Pharsalum versus sed in partem contrariam ad Boebeïdem lacum volvi.

§. 4.

Sitas igitur esse Pheras in Pelasgiotide quum demonstratum sit, jam quemnam locum hac in

tetrade habuerint quamque auctoritatem, quaerendum est. Videbimus autem, ex quo tempore de rebus Pheraeis certis auctoribus aliquid comperimus, principes huius urbis id egisse, ut totius Thessaliae usurparent praesidium. Vel ex eo quod fieri potuit, ut tale quoddam consilium in principibus nasceretur, suspicari licet, Pherarum potestatem majorem fuisse, quam qua singulae urbes frui solent. Quae quidem sententia probatur versibus Homeri, (Il. II. 411) quos supra commemoravi. Ex quibus concludi potest vel aetate Homerica complures urbes ut Boiben, Glaphyras, Iolcum Pherarum regibus paruisse. Quem principatum multo majorem fuisse Euripides putasse videtur, qui Alc. 587 dicit:

Τοιγὰρ πολυμηλοτάταν
ἑστίαν οἰκεῖ παρὰ καλλίναον
Βοιβίαν λίμναν· ἀρότοις δὲ γυᾶν
καὶ πεδίων δαπέδοις
ὅρον ἀμφὶ μὲν ἀελίου κνεφαίαν
ἱππόστασιν αἰθέρα τὰν Μολοσσῶν . . .
. . . . τίθεται
πόντιον δ᾽Αἰγαίων᾽ ἐπ᾽ ἀκτὰν
ἀλίμενον Πηλίου κρατύνει.

atque his verbis contendit, Pheras terrae a Pelio usque ad Epirum porrectae, id est toti Thessaliae ab oriente usque ad occidentem praefuisse. Quamquam hoc in loco respiciendum est, haec verba non a rerum scriptore sed a poëta dici, quem poëtica inflammatione commotum Pheraeorum potestatem nimiis extulisse laudibus verisimillimum est. Pheras enim toti Thessaliae imperavisse, priusquam Jason tyrannidem occupavisset,

a nullo alio autore memoriae proditum est. Sed eas talem tetradis ἡγεμονίαν jam Euripidis tempore habuisse, qualis Histiaeotidis Larissae (Pind. Pyth. X.; Str. 430) Phthiotidis Pharsalo (du Mesnil p. 25) Thessaliotidis fortasse Crannoni (Boeckh. Pind. Pyth. X Explic.) tradita erat, alter Euripidis locus (Alc. 1152) demonstrat:

Ἀλλ' εὐτυχοίης, νόστιμον δ' ἔλθοις ὁδόν.
Ἀστοῖς δὲ πάσῃ τ' ἐννέπω τετραρχίᾳ
Χοροὺς ἐπ' ἐσθλαῖς συμφοραῖσιν ἱστάναι
Βωμούς τε κνισᾶν βουθύτοισι προστροπαῖς.

Hanc tetradem Pelasgiotidem fuisse non inde patet, quod Pherae in Pelasgiotide sitae erant. Nam et Larissa, Pelasgiotidis oppidum, Histiaeotidi et Pharsalus, in Thessaliotide sita, Phtiotidi imperavit (du Mesnil p. 27). Sed ex eo sequitur, quod quae urbes Pheris paruisse traduntur, eas omnes in Pelasgiotide sitas esse apertum est. Quam tetradem etiam Magnesiam comprehendisse cum du Mesnilio (p. 26) statuo. Neque enim Kiepertio (allgemeine Einleitung zum Atlas der alten Welt p. 18) assentiri possum, qui Magnesiam demum cum Thessalia a Macedonibus subjecta conjunctam, antea ab ea separatam fuisse existimat, neque Mannertio, (Geographie der Griechen und Römer p. 545) qui Magnesiam numquam Thessaliae partem fuisse contendit. Thessaliae enim eam subjectam fuisse probant Thuc. II. 101: *Οἱ πρὸς νότον οἰκοῦντες Θεσσαλοὶ καὶ Μάγνητες καὶ οἱ ἄλλοι ὑπήκοοι Θεσσαλῶν.*
et Strabo p. 429: *Ἔχουσι δὲ τὰ μὲν (Θεσσαλίας) πρὸς Εὐβοίᾳ καὶ Θερμοπύλαις Μαλιεῖς καὶ οἱ Φθιῶται Ἀχαιοὶ, τὰ δὲ πρὸς τῷ Πηλίῳ Μάγνητες. Αὕτη μὲν οὖν ἡ πλευρὰ τῆς Θετταλίας ἑῴα λεγέσθω καὶ παραλία.*

Ad Pelasgiotidem autem referendam esse dicit Strabo 441: καλεῖ τοὺς Πελασγιώτας ἅπαντας τοὺς κατέχοντας τὰ περὶ Ὄσσαν καὶ Πήλιον καὶ τὰ περὶ Δημητριάδα et 443: Πελασγικὸν πεδίον ἐν ᾧ καὶ Μαγνῆτες.

CAPUT II.

§. 1.

Pelasgos cum omnis Graeciae tum Thessaliae antiquissimos fuisse incolas cognitum est. Quibus expulsis Cretheus Aeoli filius, quem e Minyarum fuisse gente Odofredus Mueller demonstravit, Jolcum condidisse dicitur. (Schol. ad Iliad. Β 591; Apollod. I. 9, 11). Quo facto Tyro, Salmonei fratris filiam, in motrimonium ab eo ductam esse fabula narrat. Ex qua, postquam gravida ex Neptuno facta Peliam et Neleum peperisset, Aesonem, Amythaonem, Pheretem filios ab eo genitos esse poetae et mythographi tradunt. (Hom. Odys. λ 235; Apollod. I. 9, 11). Pelias autem filiorum natu maximus, quamquam privignus erat, in Crethei locum successisse et Jolci imperium nactus esse traditur, a Pherete autem Pherae conditae esse dicuntur (Apollod. I. 9, 14; Steph. Byz. sub voce Φεραί; Tzetz. Schol. ad Lycophron. Cassandr. v. 1186). Pheretem excepit Admetus, filius, ob pietatem a poetis magnis laudibus celebratus. A quo Apollo, qui postquam

Asclepii filii morte iratus Cyclopes interfecit servorum operibus fungi a Jove coactus erat, clementer tractatus est. Itaque, ut gratum se Admeto praeberet, id quod Pelias Admetum Alcestim, filiam ipsius, uxorem sibi poscentem facere jusserat, id ipse deus fecit. Etenim, quum Pelias, si ante currum leonem et aprum junxisset, se Admeto filiam in matrimonium ducturum esse promisisset, Apollo currum, ante quem aper et leo conjuncti erant, Admeto tradidit. (Apollod. I. 9 15.) [Amyclis in sella Apollinis Amyclaei a Bathycle, Magnesio, fabricata Admetum aprum et leonem ante currum jungentem adspici Pausanias III. 18, 16 narrat.] Quo curru a Pelia accepto Admetus Alcestim uxorem sibi adjunxit. Sed quum nuptialibus sacris confectis Dianae hostiam immolare oblitu esset, hoc delicto deae animum vehementissime offendit. Attamen Apollo non solum Dianae mitigavit iram, sed etiam a parcis impetravit, ut, si quis sua sponte pro eo e vita excederet, Admetum mortem obire non esse debiturum promitterent (Apollod. I. 9, 15). Itaque quo die Admeto moriendum erat, eo Alcestis, uxor ejus, mortem oppetiit. (Eurip. Alc; Eratost. catasth. 29; Lucian. Jup. conf. 8, de sacrif. 4). Sed longum est, quibus in fabulis Admetus a poetis cantatus sit, etiam uberius narrare; itaque nihil jam commemorare volumus nisi eum inter Argonautas fuisse, (Apoll. Rhod Arg. I. 49; Apollod. I. 4, 16; Hygin. fab. CLXXIII; Orph. Arg. 176) aprum Calydonium venantes comitatum esse (Apollod. I. 81), in Peliae ludis funebribus pugilis partes suscepisse. Quo munere fungentem

fictum esse Admetum in arca Cypseli, Olympiae in Junonis templo posita, Pausan. V. 17, 10 memoriae prodit.

Quibus omnibus ex fabulis nihil concludi potest, nisi Pheras vel temporibus Homero antiquioribus celebratissimas fuisse. Quod autem Parthenius (narrat. amat. c. 5) Pheraeos ab Admeto δεκατευθέντας Leucippo Lycio duce in Cretam profectos esse dicit, hac in re a vera temporis ratione eum aberrasse statuendum est. Recte enim Odofredum Muellerum censuisse puto, hanc narrationem ad Magnetum peregrinationem pertinere, qui Thessalicae migrationis tempore ita oppressos et impeditos se esse viderent, ut Apollinis Pythii oraculo edito juventutis decimam partem conscriberent. Quae domiciliis patriae relictis Cretam profecta Magnesiam condidit, quam urbem Plato noverat, et hinc in Asiam minorem emigrans etiam illic Magnesiam constitit.

Admeti et Alcestis filius Eumelus est (Eurip. Alc.; Apollod. III. 10. 8; Hom. Il. B, 714); quem inter Helenae procos fuisse legimus (Apollod. III. 10, 8.). Qui quum Agamemnonem Trojam secutus in ludis funebribus ob Patrocli mortem celebratis equarum virtute, quas „ἐν Πηρείῃ“ Apollo nutriverat, (Hom. Il. B. 463; Quint. Smyrn. XXII. 522) praemium in hoc certamine propositum ferre vellet, curru Minervae odio atque ira fracto agitatorum longe ultimus advenit. Dignum etiam est memoratu, eum cum Ulixe fuisse affinitatis vinculum conjunctum. Nam Iphtimen, Icarii

filiam, Penelopes igitur sororem, ab Eumelo in matrimonium ductam esse Homerus narrat (Od. δ 494).

Quae quidem omnia quum fabulae sint, minimi momenti esse nec multum valere ad rerum cognitionem apertum est. Sed multo gravius est quod illo Homeri loco (Il. B. 411) legimus, quem jam identidem attulimus. Nam ex hoc loco Eumelum imperium non solum Pherarum, verum etiam Boebes, Glaphyrarum, Jolci obtinuisse elucet. Quo autem modo fieri potuit, ut vel fabula, quam urbem Peliae progeniei tribuerat, eandem Pherarum regi daret, quum Peliam ab Jasone interfectum Acastus, Peliae filius, hunc Thessalus Jasonis et Medeae filius et Acasti consobrinus sequeretur? (Diod. Sic. IV. 53). Quamquam enim a fabula fidem historicam postulari non debere per se patet, tamen, cum sibi ipsa ita repugnat, animum nostrum offendit. Nec vero haec a Diodoro narrata consentiunt cum iis, quae Euripides et Apollodorus (I. 9, 27) tradunt, Medeam suos liberos interfecisse. Neque enim Medeae liberis occisis filius ejus Jolco imperare potuit neque ab illis auctoribus Thessalus Medeae filius commemoratur. Hac autem narratione optime explicari potest, quomodo Jolcus Eumelo subjecta fuerit: Acasti morte virili Peliae stirpe exstincta Peliae filia, Eumeli mater, imperium suscepit. Qua mortua Eumelus Jolci regnavit.

Sed qua ratione explicari potest, cur fabula a Diodoro nobis tradita Thessalum Jolci regem nominaverit? Ad haec puto optime Odofredi Muelleri

verbis responderi: (Orchomenus und die Minyer p. 257).

„Wer wollte zweifeln, dass dadurch die Einwandrung des Thessalischen Volksstamms und der Untergang der Minyerherrschaft zu Jolcus angedeutet sein soll.“

Eumelus igitur postremus rex Pheraeorum Minyeius videtur fuisse. Jam igitur fabulosi temporis caligo historica fide dispellitur eo tempore, quo cum in omni Graecia tum Pheris regium imperium delebatur.

§. 2.

Regibus Minyeiis Pheris exactis Thessali paullo ante Heraclidarum discessum Ephyra Thesprotia in Penei campum profecti ipsi in Thessaliotide et Pelasgiotide consederunt, incolis ad πενέστας redactis, et Phtiotidis Histiaeotidisque incolas ad ὑπηκόων ordinem redegerunt, qui Thessalis stipendia debebant pendere, (Ottfr. Muell. Dor. II. 60.) Pheris igitur ipsos consedisse Thessalos videmus; qua in urbe quum potestas regia esset deleta, quaeritur, quod in genus civitatis forma conversa sit, utrum in optimas an in populare. Qua in re dijudicanda ab antiquis rerum scriptoribus nobis ne minimum quidem auxilii praeberi vehementer dolendum est neque aliud restat nisi ut vaga utamur conjectura. Conjecimus autem, usque ad illud tempus quo Pheris tyrannos fuisse legimus, Pheraeos eam secutos esse civitatis rationem, in qua populus

plurimum potest omniaque ejus arbitrio reguntur. Nam, quum in ceteris urbibus Thessaliae majoribus penes potentes pollentesque nobilium gentes fuisse summam potestatem sciamus, velut Larissae et Pharsali apud Aleuadas, Crannone apud Scopadas, Pheris talis nobilitas ne exstitisse quidem videtur. Neque enim usquam commemoratam eam esse invenias. Deinde Pheris ab anno 404 a. Ch. n. tyrannos scimus regnavisse. Tyrannidem autem fere numquam existere nisi antea populi potestate omnium rerum ad furorem multitudinis licentiamque conversa, multis historiae exemplis confirmari potest. Denique Pheraei, quoties ante tyrannorum tempus commemorantur, Atheniensium rebus se adjunxisse traduntur. Quibus ex causis civitatem popularem fuisse Pheras verisimile est. Hac opinione nitendum nobis est, cum exponere volumus, quibus Graecorum urbibus Pheraei se adjunxerint, contra quas bella gesserint, quales exteris nationibus se praebuerint. Nam etiam de his rebus eo tempore, de quo nunc disputamus, veteres scriptores prorsus tacent praeter Thucydidem, qui uno loco Pheraeos commemorat. Putamus autem bellis a Graecis contra Persas gestis Pheraeos ab Aleuadarum parte non stetisse, qui patriae proditores cum Persis hostibus se contra Graecos conjunxerant, sed eos secutos esse Thessalos, qui contra nobilium voluntatem Graecorum causam se adjuturos esse declararent, si a Graecis Tempe angustiae essent occupatae ipsique hoc modo ab hoste defensi. (Herod. VII.

142). At Magnetes, quorum ἡγεμονίαν Pheraeis traditam fuisse demonstravimus, inter primos fuerunt, qui Persarum regi aquam et terram praebebant. (Herod. VII. 132). Quo modo hoc fieri potuit invitis Pheraeis? Nonne ex hac re sequitur, ut etiam Pheraei cum Persis conjuncti fuerint? Minime. Nam verisimile mihi videtur esse, Magnetes, Pheraeorum ὑπηκόους, (Thuc. II. 101) quam bello nacti erant occasione arrepta a Pheraeis ad Persas defecisse idque eo consilio, ut Pheraeorum imperio se liberarent.

Jam vero bello Peloponnesiaco utri parti adjuncti fuerint Pheraei, conjectura dijudicari opus non est, quum Thucydides (II. 22) ab Atheniensium parte eos stetisse tradat. Itaque cum Lacedaemoniorum colonos, qui Heracleam coloniam in agro Maliensi collocavissent, a Thessalis quoque modo vexatos ac denique deletos fuisse Thucydides (III. 93) narrat, inter hos Thessalos Pheraeos fuisse conjiciendum est. Quos puto etiam eam Thessalorum partem secutos esse, quae impedire volebat, quominus Brasidas anno 424 per Thessaliam proficisceretur. Hunc enim Pharsali et Larissae nobiles in Thessaliam vocaverant (Thuc. IV. 78). Ita a Pheraeis Atheniensium res adjutas, Lacedaemoniorum neglectas esse opinor usque ad id tempus, quo, quum rerum summa potiti essent tyranni, commutabantur et civitatis formae regendae et exteras res gerendi rationes.

§. 3.

Quo tempore Athenis triginta constituebantur tyranni, eodem fere Lycophron totius Thessaliae imperio potiturus et Larissaeos et alios Thessalos sibi inimicos vicit. (Xen. Hell. II. 3). Quem, antequam haec esset pugna commissa, Pherarum tyrannidem jam occupavisse Leonardus Hamming (dissert. de Jasone Pherarum tyranno. Trajecti ad Rhenum 1828) contendit, argumentis non confirmavit. Qua cum sententia consentire non possum, sed Lycophronem ipsa hac victoria tantum sibi paravisse et potestatis et auctoritatis opinor, ut tunc demum dominationem adipisci posset. Nam si antea Pheris tyrannus fuisset, admirabile esset, ne semel quidem hunc commemoratum esse, ac certe Xenophon, qui hanc victoriam recuperatam esse narrans nihil aliud dicit, nisi Lycophronem „τόν Φεραῖον“ vicisse, Lycophroni tyranni nomen attribuisset, si hic tyrannidem jam occupasset. Praeterea quum bello Peloponnesiaco Athenienses cum Pheraeis conjuncti fuissent, nexam et jugatam fuisse opinor Pheraeorum libertatem cum libertate Atheniensium.

Pugnam autem illam, qua Lycophron superavit, apud Pharsalum commissam et eandem esse atque illam cladem, quam Medium accepisse Larissaeum Aristoteles (Hist. an. IX. 31) tradit, qua in re Schneider (ad Xenoph.) et du Mesnil (de reb. Phars. p. 47) consentiunt, conjicere licet, quamquam argumentis confirmatum non est. Neque vero puto ex hac conjectura argumentis non adjuta recte du Mesnilium posse concludere pugnae illi Pharsaliorum quoque milites interfuisse.

Multo verisimilior mihi videtur altera du Mesnilii conjectura, cum putat Pharsalum, quam urbem haud ita multo post a Lycophrone possessam videamus, hac pugna ab eo captam esse. Ceterum, quamquam Lycophron tantam reportaverat victoriam, tamen ei non contigit, ut, quod sibi proposuerat, Thessaliae imperium nancisceretur. Nam adversariorum opes Aristippi Larissaei copiis, quas Cyri jussu pecuniaque in Thessalia aluit, ut postea contra Artaxerxem duceret (Xen. Hell. I. 1, 10), magis adjuvabantur quam ut a Lycophrone devinci possent. Cum autem anno 401 illae copiae cum Cyro in Asiam essent profectae, Lycophron, Thessaliam in ditionem suam redigendi consilio iterum capto cum Spartanis, qui ab anno 399 Heracleae plurimum valebant atque Herippida duce Oetaeos et Trachinios expulerant, (Diod. XIV. 38; Polyaen. II. 21) societatem videtur iniisse. Nam bello Corinthio exorto Boeoti, Athenienses, Corinthii, Argivi, qui contra Lacedaemonios se conjunxerant, Medium Larissaeum, Lycophronis hostem adeo adjuverunt, ut hic Pharsalum a Lacedaemoniis nescio an Lycophronis auxilio occupatam expugnaret. (Diod. XIV. 82). Cujus urbis incolas Pheraeorum amicos fuisse vel hoc apparet, quod a Medio sub corona venditi sunt. Quo facto haud ita multo post, quum Boeoti et Argivi Heracleam Lacedaemoniorum coloniam, portis noctu a proditoribus patefactis, occupassent, et Lycophronis, cujus nomen jam non commemoratur, et factionis Lacedaemoniae potentia in Thessalia fracta est. Nam

Aenianes et Athamanes paullo ante Lysandrum in Phocidem secuti ab eo ad Ismeniam, Boeotum, defecerunt, neque Larissa, Scotussa, Crannon, Pharsalus, Thessaliae urbes, a Pheraeis impediri potuerunt, quominus societati Boeotorum se adjungerent. (Xen-Hell. III. 5, 6. Diod, XIV. 22), Itaque Agesilao ex Asia in Graeciam redeunti, Thessaliam omnem adversam esse videmus, exceptis nonnullis profugis, quos factionis Lacedaemoniae fuisse duces verisimile est. Quo factum est, ut Agesilaus per Thessaliam iter facere non posset, quin continuo cum hostibus pugnaret neque ullum hominem sibi amicun inveniret, priusquam Othrym montem transgressus esset. (Xen. Hell. IV. 3, 3—9).

§. 4.

Videmus igitur, Lycophronem, qui Lacedaemoniorum auxilio ceteros Thessalos se victurum esse speraverat, hoc assecutum non esse. Quod ei autem non contigerat, id, qui post ejus mortem Pherarum imperium suscepit, Jason, tanta ingenii vi expetiit, ut non modo Thessaliam sub suam redigeret potestatem verum etiam non multum abesset, quin Graeciae omnis existeret princeps. Cujus viri quales fuerint vitae privatae rationes ac mores, hoc loco omittere consentaneum videtur esse, cum quia haec ad res Pheraeas re vera non pertinent, tum quia a multis hominibus uberius his de rebus disputatum est. (Sievers Geschichte Griechenlands vom Ende des Peloponnesi-

schen Krieges bis zur Schlacht bei Mantinea p. 323 seq.; voyage du jeune Anacharsis par Barthélemy; Leonard Hamming de Jasone Pherarum tyranno). Eo magis autem, quanto ingenio fuerit et quas res gesserit exponendum nobis est. Nam qui de rebus ab eo gestis disputaverunt, ii quidem omnes magnum eum fuisse hominem concedunt; quam divina autem ingenii magnitudine inter omnes antiquitatis principes excelluerit, quantum scio, adhuc nemo satis comprobavit.

Quum autem duas res in summo principe inesse oportere constet, civitatis regendae sapientiam et belli gerendi scientiam, Jasonem Pheraeum maxime excelluisse et in republica administranda et in bello gerendo demonstrabimus. Atque primum quidem qui civitatem regere vult, eum tanto ingenii acumine praeditum esse oportet, ut, quae fuerint, quae sint, quae futura sint, dilucide perspiciat, quantae sui ipsius vires, quantae adversariorum sint recte dijudicet, quid igitur faciendum, quid faciendum non sit, facile intelligat. Deinde eam voluntatis vim habeat necesse est, ut quod faciendum esse cogitando constituit, id agendo re vera perficiat. Quarum virtutum quamnam Jason attribuere non possumus? qui singularum Graecorum civitatum quid quaeque valere possit optime explicet, quid habeant potestatis et quibus subsidiis utantur Athenienses, Lacedaemonii, Thessali, Persae penitus perspiciat, plurimarum rerum cognitionem habeat: rei maritimae, rerum ad vectigalia spectantium, singula-

rum civitatum redituum; qui suas ipius vires cum aliarum accuratissime comparat atque, circumspectis rebus omnibus rationibusque subductis, agendi consilia optime et capiat et exsequatur (Xen. Hell. VI. 1, 4 seq.). Neque enim quidquam ei non contigit sive opus erat celeritate in conficiendo sive consilio in providendo sive industria in agendo, quum tanto esset animi vigore, ut, si quid celeriter confecturus esset, et in prandium et in coenam comedendo laboraret ac neque dies neque noctes ex labore conquiesceret. (Xen. Hell. VI. 1, 15). Huc accedit, quod virorum philosophia eruditorum velut Gorgiae et Isocratis usu politus (Isocrat. epist. ad Jas. fil.; Pausan. Elias. c. 17) ac splendida dicendi facultate ornatus erat, qua in re quantum valuerit, oratio a Xenophonte tradita demonstrat. Neque vero, quod multo gravissimum est, difficillimae erat expers artis, hominum animos cognoscendi iisque ad consilia sua exsequenda utendi.

Quibus virtutibus ut qui civitatem regeret praecipue erat dignus ita ad civitates et defendendas et expugnandas unus ex omnibus maxime aptus erat. Tanta enim et corporis firmitate et animi robore excelluit, ut non solum, quas molestias milites perferre debebant, eas ipse toleraret, sed etiam labore cum ultimis militibus certaret neque umquam a militibus aliud postularet, nisi ut tantum proficerent, quantum ipse jam praestitisset. Amavit autem laborem sensuumque voluptates neglexit. Jam vero quanta sapien-

tia militum animos sibi conciliare potuit: „Quos si multis perlatis incommodis indignati non erant, tantis affecit praemiis, ut valde contenti essent. Itaque, quicunque sub ejus signis stipendia merebant, ii omnes molestias secuturam esse voluptatem haud ignoraverunt. Atque alios aliter tractavit. Quos enim milites ignavos ac timidos esse vidit, eos confestim dimisit, qui autem prae ceteris se belli nullum aut incommodum aut periculum vereri ostendebant, eos inter omnes et maximis honestavit laudibus et duplici, triplici, quadruplici mercede, aliis donis donavit et valetudine affectos diligenter curavit et morte ereptos cum maxima pompa funeris extulit. Itaque inter omnes constitit, ab Jasone optimo cuique summam et honorum et divitiarum attribui copiam.“ Neque vero eum effugere potuit, quis militum utilis, quis inutilis ad bellum esset. Nam fere quotidianis pugnandi exercitationibus milites ad proelia praeparavit neque unquam aut in itinere aut in gymnasio sine armis eos proficisci passus est. Quid igitur mirum, quod cum fiducia confirmavit, neque militem gregarium in exercitu suo esse, qui ducis onera non sustineret, neque ullam urbem existere, quam expugnare non posset.

Jam vero virum tanto usu militari etiam interiore tacticae peritia adornatum fuisse verisimile est. Eum vero aciem quadratam equestrem, Rhombum dictam, quam Aelianus (de mil. ordin. instit. c. 18) commemorat, invenisse, quod Leonardus Hamming

(de Jas. Ph. tyr. p. 23) contendit et Sievers (Gesch. Griechl. vom Ende des pelop. Krieges bis zur Schlacht bei Mantinea p. 325) ab eo descripsit, in eo vehementer errant. Nam Aelianus, quamquam hanc aciem ab Jasone inventam esse c. 18 dicit, tamen c. 43 ab Ileone quodam, viro fabuloso inventam et c. 45 ab Jasone, Medeae marito, exercitatam esse narrat. Quodsi acies a Medeae marito exercitata jam est, fieri non potest, ut ab Jasone Pheraeo demum inventa sit. Itaque Jasonem, quem Aelianus c. 18 commemorat, etiam Medeae maritum totamque rem fabulosam esse statuendum est.

Duas igitur res in Jasone inesse conjunctas videmus, quarum qui alterutra praeditus est, vel is magnus vir nominatur; quem autem utraque ornat, summa nos afficit admiratione. Qua tamen tum demum re vera dignus est, si facultatibus ingenii a deo insitis recte utitur. Itaque Jasonis virtutes quid valeant, dijudicare tum demum poterimus, si intellexerimus, ad quod consilium exsequendum et quomodo ab eo adhibitae sint. Notum autem est, Jasonem id egisse, ut Graeciae fieret princeps. Tantam autem rem consequi qui conatur, eum vel ideo cum stupore quodam intuemur, quia quam difficile adeptu sit, quod vult et quanta subsidia postulentur, haud ignoramus. Neque vero laudes ejus celebramus, qui suae ipsius utilitati tantum servit, non in commune consulit. Quoties igitur quis populi libertatem opprimere ausus erat nulla re commotus nisi ut ipse tyrannus potens

pollensque fieret, toties historia ei merito turpitudinis maculam inurebat. Qua etiam Jasonem a multis scriptoribus esse aspersum dolendum esse censeo, quia mea quidem opinione injuria factum est. Neque enim, qui suam utilitatem cum patriae salute conjungit, eum condemnare debemus. Hoc autem Jasonem fecisse contendo. Quis est enim, qui nesciat, Graeciae Jasonis aetate factionibus laceratae adeo et auctoritatem imminutam et dignitatem labefactatam fuisse, ut exterae servituti eam permitti necesse esset, nisi singulae civitates celerrime ducis strenui atque acris ingenio conjungerentur. Quod cum factum non esset, haud ita multo post a Philippo Macedone oppugnata est. Hoc autem periculum patriae imminere, Jason intellexit. Intellexit etiam, a magno principe, qui conjunctos Graecos contra Persas duxisset, Persas, sempiternos Graecorum hostes, victum iri, atque fore, ut orbis terrarum Graecorum imperio teneretur. Quae opinio quam eum non fefellerit, ex hoc cognosci potest, quod Alexandro magno contigit. Quodsi Jason se hanc ad rem maxime aptum et quasi natum esse sentiebat, si, dico, Graeciam conjungere et ducere ad patriam servandam necessarium esse intelligebat, nonne id consequendi conatum facere officio quodam sancto quasi obligatus debebat? Talibus autem causis eum re vera adductum fuisse, verba ejus testantur, quae apud Xenophontem legimus. Videmus enim eum imaginem quasi in mente sibi finxisse conjunctae Graeciae Persas devincentis. Itaque patriae amore

inflammatus omnes vires ac nervos contendit, ut consilium suum exsequeretur. Quod quo modo conatus sit, elucet ex rebus ab eo gestis, de quibus jam disputandum nobis est.

Atque Jasonem quidem Lycophronis et filium et successorem fuisse apparet cum ex causis, quas Hamming p. 19 affert: „quandoquidem post illum rebus praefuit idemque nomen inter Jasonis filios occurrit“ tum ex Xenophontis loco (Hell. VI. 4, 24) ubi Xenophon Jasonem haec verba Lacedaemoniis dicentem facit: „*Ταῦτα ἐγὼ προθυμοῦμαι σῶσαι ὑμᾶς βουλόμενος διὰ τὴν τοῦ πατρὸς φιλίαν πρὸς ὑμᾶς.*“ Quo loco Jason patrem Lacedaemoniis amicum fuisse dicit, quorum a parte Lycophronem stetisse jam supra demonstratum est. Quando autem Lycophron mortuus sit, quando Jason ei successerit, hac de re ab auctoribus non docemur. Sed constat imperium intra annum 395 et 375 ad eum transiisse. Neque enim Lycophron post annum 395 commemoratur (Diod. XIV. 82) neque Jason ante annum 377 (Diod. XV. 30). Qua re quod Daniel Wyttenbach (animadvers. in Plutarchi libr. de cap. ex inimic. util. p. 89) conjecit et Hamming (p. 21) rescripsit, refutari posse puto: Prometheum, Thessalum, a quo Theramenes (in oratione contra Critiam habita) cum Critia penestas contra dominos armatos esse dicit (Xen. Hell. II. 3, 36), eundem esse atque Jasonem nostrum Pheraeum. Hunc enim Promethei cognomen habuisse duabus ex causis Wyttenbach collegit, primum quod eundem hoc nomine afficere videatur Xe-

nophon ex persona Theramenis reprehendentis Critiam, deinde quod admirabilis quaedam ulceris sanatio a Plutarcho ad Prometheum, ab aliis compluribus scriptoribus ad Jasonem Pheraeum referatur. Quarum altera causa iterum nihil nisi conjectura est, altera per se nihil comprobare potest. Identidem enim in talibus narratiunculis ab alio antiquitatis scriptore alius alicujus facti auctor nominatur. Accedit, quod etiam Tzetzes (ad Hesiodi Ἔργ. 249 p. 41) eandem rem cum nomine Promethei prodit ac Prometheum „Προμηθέα τινά" dicit; ubi Tzetzem posuisse τινά pro vetere τόν, quod cognomen hoc Jasoni fuisse ignoraret, iterum nullo argumento confirmatum est. Attamen conjectura acute excogitata est atque, quum ingenio Jasonis Promethei cognomen optime responderet, verisimilis esset, nisi certa argumenta opponenda essent, Ac primum quidem admirandum esset, si Theramenes Jasonem brevi Prometheum nominaret neque ullo modo quam illustrem virum dicere vellet, significaret. Deinde ab Jasone, Lycophronis tyranni filio eodemque destinato in reipublicae principatu successore et servos contra dominos armatos et civitates populares constitutas esse, num credibile est? Quod quidem si factum esset, tam memorabile esset, ut profecto non tam leviter esset commemoratum. Denique maxime temporis ratio opponenda est: Dum pugna navalis apud Arginusas committitur, id est anno 406 a. Ch. n., Critias in Thessalia versatus esse atque cum Promotheo id, quod supra diximus, fecisse dicitur. Quo tempore quot annos Jasonem habuisse verisimile est?

Quem, quum post pugnam apud Leuctram commissam id est circiter 370 interficeretur, aetate in medio virium robore adornatum et adeo senectutis imbecillitate non pressum videmus, ut etiamtunc rerum gerendarum amplitudine incensus esset et etiam atque etiam nova agendi caperet consilia, (cujus rei testis est Xenophon qui (VI. 4, 31) dicit: Ὁ δ' οὖν ἀνὴρ τηλικοῦτος ἦν καὶ τοσαῦτα καὶ τοιαῦτα διανοούμενος ἀποσφάττεται καὶ κατακόπτεται) eum anno 370 amplius quinquaginta annos id est anno 406 amplius quatuordecim annos natum fuisse credibile non est. Puer autem, quatuordecim annos natus, num tales gerere potest res, quales gessisse Prometheus dicitur? Jam vero, etiamsi haec computandi ratio non prorsus constaret, certe nemo est, qui neget, vehementer nos eo offendi, quod, qui jam anno 406 res memoratu adeo dignas gesserit, ante 377 ne semel quidem nominatus sit neque a Xenophonte neque a Diodoro Siculo.

Jason igitur quid ante 377 gesserit quum traditum non sit, nihil constat nisi Pherarum imperium ante hunc annum ab eo susceptum esse idque populi voluntate non armorum vi, quum Lycophroni patri successisse videatur. Anno autem 377 Neogenem Hestiaeae et Oropi, Euboeae oppidorum, tyrannidem occupaturum ab Jasone (qui jam Pherarum tyrannus dicitur) adjutum esse Diodorus (XV, 30) tradit, quo anno Thebanos Pagasis frumentum Thebas importasse a Xenophonte comperimus (Hell. V. 4, 56). Hinc sequitur, ut Jason a societate, quam cum Lacedaemoniis

Lycophronem vidimus iniisse, abhorruerit iisque hostem se praebuerit. Nam Neogenem haud ita multo post Lacedaemonii Therippida duce ex arce expulerunt, neque fieri potuit, ut Pagasarum incolae, quo oppido Pheraei portu uterentur, (Strabo 436) cum Thebanis negotia haberent, nisi Pheraei Thebanorum amici, Lacedaemoniorum igitur temporis ratione habita hostes fuissent. Jasonem igitur Lacedaemonios, patris socios deseruisse apertum est. Cujus rei quae sint causae, haud difficile est intellectu. Notum enim est, a bello Peloponnesiaco confecto usque ad annum 379 summum totius Graeciae imperium penes Lacedaemonios fuisse, quibus Graecarum civitatum nulla auderet resistere. Quae potestas quamquam Thebanis Pelopidae virtute liberatis labefactata erat, tamen Lacedaemonii etiamtunc erant Graecorum potentissimi. Itaque fieri non potuit, quin nihil Jasoni magis cordi esset, nisi ut Lacedaemoniorum auctoritatem magis magisque attenuaret atque imminueret. Neque enim, priusquam hoc fecisset, quod sibi proposuerat, consequi potuit. At si re vera Lacedaemonii Graecis imperabant, quae Jasonis consilia fuisse diximus, eorum altera pars impetrata jam erat. Nam Graeci, quos Jason cojungere volebat, Lacedaemoniorum imperio conjuncti jam erant. Itaque qui re vera conjunctae Graeciae amicus erat, is Lacedaemoniorum potestati favere debuit. Jasonem igitur, ut in hos infenso esset animo, nulla res commovit, nisi sua ipsius utilitas.

At Lacedaeoniornm imperium Graeciam non conjungebat, sed lacerabat, non tuebatur, sed prodebat. Quid? Pax ista ab Antalcida Lacedaemonio conciliata nonne uniuscujusque civitatis vel minimae „αὐτονομίαν“ restituendam esse constituerat? Qua conditione servata quo modo Graecia una et conjuncta existere potuit? Quid? quod idem Antalcidas totam Asiam opprimendam Persis permiserat ne ulla quidem conditione imposita. Videmus igitur, crimini verti Jasoni non posse, quod Lacedaemoniorum hostibus se adjunxerit.

Cum Jasonis auctoritas jam 377 ultra Thessaliae fines usque ad Euboeam pateret atque Neogenem, exterum amicum adjuvare posset, colligere possumus, jam tunc eum non modo Pheraeis imperasse verum etiam aliquam partem ejus potestatis sibi comparavisse, quam anno 375 habuit (quo anno Polydamas Pharsalius Lacedaemonem venit). Sed ante Thebas a Pelopida liberatas (379) hoc ei contigisse verisimile non est, quum Lacedaemonii usque ad hoc tempus potentiores essent, quam qui Jasonis adeo augeri potentiam sine ulla dimicatione paterentur. Annis autem insequentibus, quo tempore Lacedaemonii cum Thebanis, Atheniensibus, aliis horum sociis bella gerebant, nemo erat qui Jasonem impediret, quominus in Thessalia, quid sibi videretur, faceret. Itaque opes ejus anno 379 augeri coeptas esse opinor. Quas exinde, sex milium alienigenarum exercitu comparato maxima celeritate amplificavit. Nam mercenariorum militum opera ad-

jutus maximas et plurimas Thessaliae urbes devicit ac, societate cum Boeotis et aliis Lacedaemoniorum hostibus facta, (Xen. Hell. VI. 1, 10) Maracas, Dolopes, Alcetam, Epiri praefectum sub potestatem ditionemque subjunxit (Xen. Hell. VI. 1, 7). Quo facto tantam potestatem adeptus est, ut facile totam Thessaliam bello expugnare posset. Nec vero bello sed belli timore usus est. Non enim armorum vi sed argumentorum copia Polydamam, potentissimum Thessalorum adversarium devicit, cujus eloquentiae eventus alterum exemplum neque antiquum neque nostrum tempus praebet. In colloquio cum Polydama habito Jason luculentissime ostendit, quanta cognitionum varietate et copia ornatus esset et quam penitus Graecarum civitatum res perspexisset. Deinceps enim Polydamae demonstravit, omnium Graecarum urbium nullam tantis viribus niti, ut sibi resistere posset. Quo firmamento usus, quam facile Thessali, si conjuncti essent, Graeciae principatum assequi et Persas vincere possent, probavit. Itaque id ante omnia potissimum agendum esse, ut Thessali se conjungerent. Quam ad rem perficiendam se unum ex omnibus aptum esse, quo nemo Graecorum plus valeret. Suae igitur potestati sua sponte Thessali se subjicerent, quod Polydamae auctoritate effici posse. Qua in re si se adjuvare vellet, Thessalos se duce Lacedaemonios victuros esse, si minus sine opera a se superatum iri. Quod autem ad Athenienses attineret, eorum societatem se repudiare, quamquam, quantopere amicitiam suam

expeterent, haud ignoraret. Se enim eam habere opinionem multo etiam facilius esse maris quam terrae imperium recuperare. Nam omnia, quae quidem ad rem maritimam necessaria essent, multo magis suppeditatura esse Thessalis quam Atheniensibus, lignum navale Macedoniae possessione, remiges penestarum multitudine, commeatum frumenti copia, pecuniam populorum, qui continentem habitarent, reditibus. Itaque a Thessalis et Lacedaemonios et Athenienses victum iri. Quo facto dubium non esse, quin futurum esset, ut etiam Persae subigerentur. Eos enim exiguis copiis ab Agesilao et Cyro in summum periculum ac discrimen vocatos esse.

Quibus argumentis nisus Jason Polydamae „Noli“ inquit „mihi quidquam credere nisi quod inita subductaque ratione verum esse ipse intellexisti.“ Polydamas autem, quae Jason dixisset, ea omnia, quae diligentissime perpenderentur digna esse respondit, sed Lacedaemoniorum veterem amicitiam se condonare non posse. Qua de re Jason tantum abfuit, ut irasceretur, ut Lacedaemoniorum auxilium implorare Polydamae permitteret. Nam cum putavit se jam majorem esse, quam cui Pharsalii et Lacedaemonii vel conjuncti nocere possent, tum speravit, a Lacedaemoniis aliis rebus implicatis Pharsalios adjutum non iri. Quae spes eum non fefellit. Nam Lacedaemoniis cum magno quidem dolore abnuentibus Polydamas Jasonis rebus se adjunxit atque suo auxilio effecit, ut Jason cunctis Thessalorum suffragiis ταγὸς declararetur.

Quod igitur alii non contigisset nisi belli civilis atrocitate, id Jason bona cum pace assecutus est. Qua re et morum lenitatis et animi sapientiae singulare documentum dedit. Neque enim apud eos populos, qui gladio conjuncti et sanguine conglutinati sunt, reipublicae salus coli potest. Sua voluntate hoc modo Thessalis in concordiae vinculum redactis, ita egisse videtur Jason ut eorum amorem, quorum opera Graeciae toti se imperaturum esse sperabat, sibi conciliaret ac servaret. Nullo modo imperio, quod Thessali ad eum, tagum creatum, legitime detulerant, abusus est. Quae enim jura tago concessa erant, exercitum ducendi, militum numerum conscribendi, inducias ineundi, pacem conciliandi, concilium convocandi, (du Mesnil p. 23) eorum fines transiisse non videtur. Neque enim Thessaliae singulis urbibus libertatem eripuit, velut Pharsali arcem non occupavit, sed Polydamae custodiendam permisit (Xen. Hell. VI. 1, 18). Totius autem Thessaliae et rem militarem melius ordinavit et reditus publicos admodum auxit. Quantum enim numerum et equitum et parmatorum unaquaeque urbs praeberet, cum constituisset, exercitum amplius octo milia equitum et viginti milia parmatorum coegit. Accesserunt tantae peltastorum copiae, ut maximo hostium exercitui resistere possent. Quod autem ad reditus attinet, etiam a perioecis, qui a Scopa, Cyri minoris aequali, usque ad Jasonem stipendia non penderant, vectigalia pensitari jussit. (Hell. VI. 1, 19).

Omnibus hoc modo Thessaliae et militum et pecuniarum viribus in unius et tanti viri manum contractis Jasonem in dies ad res Graecas plus habuisse momenti, per se apparet. Neque vero consilii sui Lacedaemoniorum opes frangendi unquam immemor Phocenses, Lacedaemoniorum socios, irruptionibus saepe vexavit atque aestate anni 373 cum Timotheo, Atheniensi, societatem iniit. (Grote gr. Gesch. Uebersetzung von Meissner V. 425). Qui quum in expeditione, quam ad remiges comparandos et pecunias colligendas susceperat, Thessaliam attingeret, morum suavitate et ingenii magnitudine Jasonis animum ita movit, ut non solum odium societatis Atheniensium, quo incensum Jasonem fuisse vidimus, devinceret, sed etiam in maximam ejus reciperetur familiaritatem. Qua commotus Jason confestim sexcentis Atheniensium peltastis, qui Corcyraeos a Lacedaemoniis pressos adjuturi erant, permisit, ut Stesicle duce per Thessaliam iter facerent. (Grote V. 425). Dimidia autem parte anni interjecta Pheris Athenas profectus est nulla re adductus nisi ut, quum actio in Timotheum intenderetur, pro eo testimonium diceret. Arctissimo igitur amoris vinculo Jasonem et Timotheum conjunctos fuisse videmus, quod utrique viro ornamento est, Jason autem quanti amicitiae sanctitatem aestimaverit, probat. Neque vero Cornelius Nepos recte disputat, quum (Timoth. c. IV) dicit, adversus Jasonem Timotheum postea populi jussu bellum gessisse, patriae sanctiora jura quam hospitii esse ducentem. Ne-

que enim ab anno 373 usque ad annum 370, quo Jason interfectus est, ullum bellum a Pheraeis cum Atheniensibus gestum est. (Uberrime hac de re disputat Grote V. 465 adnot.) Jason autem Athenis Pheras reversus duos annos nihil fecisse videtur nisi ut Thessaliae vires magis magisque amplificaret, atque iterum Phocenses, quibuscum semper controversias haberet (Xen. Hell. VI. 4, 21) repentina incursione vexaret. Anno autem 371 pugna apud Leuctra[1]) commissa Thebani victores, Atheniensium subsidiis nequidquam imploratis, ab Jasone, vetere socio, auxilium petierunt, sperantes, fore ut talis viri opera adjuti victoria ex Lacedaemoniis reportata plane uti possent (Xen. Hell. VI. 4, 20). Jason igitur, dum, ut hostium decipiat diligentiam, se mari auxiliaturum esse Thebanos simulat atque extemplo triremes instruit; equitibus et mercenariis militibus contractis illa, qua solebat, admirabili ac divina quadam celeritate per Phocensium fines, qui maxime ejus adversarii erant, Boeotiam profectus est. Quo quum advenisset Thebanos, qui statim cum Lacedaemoniis pugnare eosque penitus delere volebant, his verbis impedivit, quominus id facerent: „Qui“ inquit „modo tantam rem gesserunt, eos aut rem majorem gerendi aut victoriam jam rela-

---

[1]) In Leuctrica pugna describenda Xenophon a Diodoro valde abhorret. Ego Xenophontem secutus sum. In quibus hic a Diodoro dissideat et quibus de causis Xenophontis auctoritas pluris aestimanda sit, explicant Hamming p. 84 seq. et optime Grote V. 459.

tam dimittendi periculum facere non decet. An vos non ideo tantum superavistis, quia pugnare necessitate cogebamini? Itaque considerate, etiam Lacedaemonios, si de vita dimicent, acerrime restituros esse, deum vero juvare superbos affictare, erigere afflictos."

Contra Lacedaemoniis, quid inter victos et victores interesset, exposuit: „Calamitatis" inquit „acceptae si oblivisci vultis, vobis suadeo, ut antea vos recreetis viresque accisas reficiatis ac tum demum cum Thebanis, qui nunc superari non possint, contendere conemini. Praeterea haud ignoratis, etiam inter socios vestros esse, qui cum hoste de pacis conditionibus agant. Itaque ante omnia operam date ut inducias impetretis. Ego autem exopto, ut hoc faciatis, quia servare vos volo propter patris et meam ipsius amicitiam vestri." Quibus orationibus et Thebanis et Lacedaemoniis persuasum est, ut armis positis inducias facerent. Quarum auctor quibus commotus causis Jason fuerit, quum hac de re alii aliter judicent, hoc loco examinandum nobis est. Neque vero cum Grotio neque cum Sieversio consentire possum, quorum hic Jasoni turpem propriae utilitatis cupiditatem exprobrat, ille Jasonem, quae Thebanis dixerit, ea re vera cogitasse existimat, quia post pugnam Lacedaemonii loci opportunitate adjuti validiores fuerint, quam qui a Thebanis iterum devinci possent. Ac primum quidem amore Thebanorum Jasonem commotum non fuisse ad pacem conciliandam, ipsa oratio

apud Lacedaemonios habita docet. Neque enim Lacedaemoniis persuadere, ut pacem componerent, neque eorum hospitio ita niti potuisset, nisi jam antea prioribus inimicitiis positis in amicitiam quandam Lacedaemoniorum venisset. Jam vero dubium non esse existimo, quin Thebani, si Jasonis copiis adjuti fuissent, Lacedaemonios jam victos penitus deleturi fuissent. Itaque Jasonem a Thebanis ad Lacedaemonios si non defecisse at certe inclinasse ac Thebanorum socium mobilem se praebuisse negari non potest. Concedo igitur, hac agendi ambiguitate et fidei infirmitate vitae splendori ac morum integritati Jasonis labem impositam esse. Nec tamen eum tam vehementer, quam Sievers, vituperem. Quamquam enim valde abhorreo a perniciosa ista Jesuitarum sententia, qui: „finem honestare media" doceant, tamen puto, et principi, si patriae salutem respiciat, plus condonari posse, quam viro privato et Jasonem suae, non nostrae aetatis moribus metiendum esse. Atqui Jason, si quidem consilium suum exsequi voluit, aliter agere non potuit. Nam pugna apud Leuctra commissa Lacedaemoniorum potestas ita erat perfracta, ut horum aemulatione consilia Jasonis jam turbari non possent. Contra summum periculum erat, ne Thebani victoriae laetitia elati atque ab Epaminonda et Pelopida ducti Graeciae principatum, Lacedaemoniis ereptum, sibi compararent. Quos si Jason in Lacedaemoniis prorsus delendis adjuvisset, sibi ipse obstitisset et omnis vitae summum consilium si non plane diruisset at certe in

longinquum tempus distulisset. Neque vero Thebanos armorum vi quidquam invitos facere coegit, sed persuadendo tantum adduxit, ut certe ad tempus intestini belli furorem exstinguerent et cum Lacedaemoniis se conciliarent. Quid? Qui Thessaliam cum pace sub suam potestatem redegerat, nonne is, sicut Thessalos sibi ταγείαν eodem modo fortasse omnes Graecos sibi Graeciae totius principatum sua sponte delaturos esse sperare potuit? Ad talia eum animum intendisse ex nonnullis Plutarchi locis conjiciam qui (de gen. Socr. c. 14; Apophthegm. Epam. c. 13) tradit, Epaminondam ab Jasone duobus millibus aureorum sollicitatum esse. Quod accurate retulisse Plutarchum negandum esse opinor, nam Epaminondae morum integritas adeo nota atque apud omnes aequales pervulgata erat, ut quemquam pecunia eum corrumpere ausum esse credibile vix sit. Hoc autem, quod per se verisimile est, Plutarchi narratione fulciri puto, Jasonem, sicut Polydamae Thessalorum gravissimo viro se ejus utilitatem respecturum esse pollicitus erat, ita etiam Epaminondam omnium Graecorum aemulum sibi periculosissimum in suas partes trahere conatum esse. Si id vero ei contigisset, non multum abfuisset, quin Graeciam cum pace conjungeret. Quam ad rem perficiendam quod ita egit, ut, Lacedaemoniis non penitus obtritis, Thebani auxilio ejus carere non possent, ideo condemnandum eum esse nego.

Induciis autem inter Thebanos et Lacedaemonios factis Jason per Phocidem reversus Hyampolis subur-

bio capto multos homines, qui ei resistere volebant, interfecit eorumque agros populatus est. (Hell. VI. 4, 27). Tum incolis non repugnantibus per Locridem profectus cepit Heracleam in Phthiotide sitam, cujus urbis et muros diruit et agrum Oetaeis et Maliensibus donavit. Neque enim jam timebat, ne hostes in suos fines incursionem facerent. Heraclea capta iter ad septentriones in Perrhaebiam convertit, ubi urbes nonnullas rebellatrices partim suadendi partim pugnandi vi in ditionem suam redegit. Jam vero perpetuis, quas reportaverat victoriis, populis in societatem armorum assumptis, mercenariis militibus in dies et majore numero auctis et campestri disciplina magis eruditis auctoritas ejus tam singularis ac quasi divina facta erat, ut vel maximum hujus aetatis virum omnes eum aestimarent, neque quisquam ejus consuetudine uti auderet, nisi summae plenus reverentiae et admirationis (Hell, VI. 4, 28). Quod autem Diod. Sic. (XV. 60) a Xenophonte abhorrens tunc demum Jasonem tagum creatum eique Thessaliae principatum delatum esse dicit, in eo errat, nam pugna apud Leuctra nondum commissa Jasonem fuisse tanta potestate vidimus, ut jam tunc Thessaliae omnis copiis imperaverit necesse sit.

Jam igitur in fastigio felicitatis cum staret, ad ultimam dimicationem, in qua totius Graeciae imperium vertebatur, se paravit, ut eos Graecorum, qui ditioni suae ultro se subjicere nollent, vi devinceret. Quorum longe potentissimi erant Thebani, qui duce-

bantur ab Epaminonda. Quocum tunc demum, non ante Thebas per Pelopidam liberatas, (sicut Plutarchus narrat[2]) de societate facienda Jason egit. Cujus conditiones ab Epaminonda repudiatae videntur esse, nam in proximis Pythiis calendis Sextilibus anni 370 celebrandis Jason rem ferro conficere voluisse videtur, Nam et toti Thessaliae, quam maximum potuit, militum numerum imperavit et ab omnibus hypecoïs boves, oves, capras, sues mitti jussit, mille boves et decem milia ovium, caprarum, suum postulans. Itaque quamquam pecuda in dei honorem immolatum iri et milites festis diebus sacros ludos facturos esse palam dictitabat, tamen omnibus commeatus copia et exercitus magnitudo tantam movit suspicionem, ut Jasonem divitiis Delphicis periculum moliri putarent. Quas se defensurum esse deus promisit promissaque exsolvit. Nam Jason, quum in ipso limine totius Graeciae imperii staret, a septem adolescentibus interfectus est. Qui cur hoc commiserint, utrum laudis invidia (Ephorus apud Diod. XV. 60), an Polydori, Jasonis fratris, pecunia (Diod. XV. 60), an pudoris laesi ira (Val. Max. IX. 10. Ext.) commoti, jam dijudicari non potest. Utique ab omnibus Graeciae urbibus amplissimis honoribus decorati sunt, quia Jasonis morte Graeciae libertatem servatam esse Graeci putabant. Qua in re quantopere falsi sint, Graecia a Philippo celer-

---

[2]) Plutarchum hac in narratione ab recta temporis computatione aberravisse, Grotius demonstravit.

rime oppressa docet. Nescio autem, an si Jasoni Graeco contigisset, quod haud ita multo post Philippo barbaro, Graecia adhuc per multos annos ab interitu ac servitute esset vindicata. Quantum vero valuerit Jasonis ingenium, Valerius Maximus pulchre expressit:

„Ceterum parvo irritamento ingenui pudoris maximae rei exspectatio subruta est, quoniam opinione Graeciae tantum in spe Jasonis quantum in effectu Alexandri reponitur."

§. 5.

Jason viduam, quae post ejus mortem Thebas se contulit, (Xen. Hell. VI. 4, 37) Theben, filiam, (Plut. Pelop. 28) quae postea Alexandro tyranno nupsit, Tisiphonum, Pytholaum, Lycophronem, privignos, (Plut. Pel. 35) Polydorum, Polyphronem (Xen. Hell. VI. 4, 33) Alexandrum, (Diod. XV. 61) fratres reliquit. Quorum Alexandrum recte a Plutarcho (Pel. c. 29) Polydori nepotem dici nego, quia a Xenophonte (Hell. VI. 4, 34) Theben uxorem suam propter sterilitatem repudiaturus atque Jasonis viduam in matrimonium ducturus fuisse dicitur idque eo consilio, ut liberos ex ea susciperet. Quam ad rem, si Polydori et ipsius igitur Jasonis nepos fuisset, patrui uxorem, id est amitam suam elegisset, sin Polydori et Jasonis frater fuit, elegit fratris uxorem. Quorum hoc verisimilius illo videtur.

Et Pherarum imperium et Thessaliae ταγείαν non filii Jasonis, quorum aetatem imperio maturam nondum fuisse conjicio, sed Polydorus et Polyphron, fratres, susceperunt. Polydorus autem haud ita multo post, cum Larissam proficisceretur, a Polyphrone fratre dormiens interfectus est. (Xen. Hell. VI. 4, 34). Polyphron deinceps solus regnans crudelem dominationem exercuit. Nam nobilissimos quosque cives Pharsalios, etiam Polydamam, necari jussit multosque Larissaeos patria pepulit (Xen. Hell. VI. 4, 24). Quod sine ulla causa factum esse quum verisimile non sit, Pharsalios et Larissaeos, qui imperii clavum fortissima Jasonis manu jam non teneri vidissent, libertatis integritatem recuperare conatos esse conjicio. Quum hoc iis non contigisset, eos gravissimo illo supplicio a Polyphrone affectos esse puto. Neque vero hic in potentissimarum urbium cives tanta severitate agere potuit, nisi antea arces, Jasone tago liberatas, copiis Pheraeis occupasset. Quod quidem ausus non esset, nisi alicujus civitatis auxilio adjutus fuisset. Puto, hoc factum esse copiis Thebanis. Nam Pheraeorum et Thebanorum societatem Polyphrone regnante neglectam non esse vel hoc versimile est, quod inter socios Epaminondae, anno 370 in Arcadiam proficiscentis, Thessali fuerunt. (Xen. Ages. II. 24). Quos in Thebanorum exercitu militare non potuisse, nisi Polyphronis tagi jussu, apertum est.[3])

[3]) In his rebus narrandis iterum Diodorus a Xenophonte dissentit, cum Polyphronem non commemoret, Jasoni Polydorum tantum successisse atque hunc ab Alexandro necatum esse tradat

§. 6.

Quod odium Polyphron et Polydoro necato et civibus atrociter tractatis susceperat, eo usus est Alexander, frater ejus, atque fratrem, qui unum annum (370—369) regnum obtinuerat, caede interfecit, se Polydorum trucidatum ulcisci atque civitatem a Polyphronis servitute eximere velle simulans, (Xen. Hell. VI. 4, 34). Quod promissum adeo non exsolvit, ut crudelitate Polyphroni valde praecurreret. Nam inter omnes homines, quos quidem diros et inhumanos se praestitisse antiquitatis memoria doceat, Alexandro Pheraeo haud scio an nemo saevius et atrocius se gesserit. Qui teterrimi monstri imaginem praebet, ex ignavia, perfidia, feritate compositi. Sicut igitur in Jasone depingendo admiratione imbuimur, ita Alexandri turpitudo summo nos afficit taedio.

Alexander 369 imperio potitus (Diod. XV. 61; Xen. Hell. VI. 4, 34; Clinton fasti p. 122) confestim in tanta Thessalorum odia incurrit, ut Aleuadae Larissaei conjuratione facta Alexandri, Macedonum regis, auxilium ad tyrannum depellendum implorarent. Quod quum comperisset Alexander Pheraeus, summa vi bellum apparavit id agens, ut hostem in ipsa Macedonia aggrederetur. Sed Macedonum rex, ad quem Larissaei expulsi[4]) confugerant, celeriter eum superavit at-

Sed Xenophontis, hoc tempore viventis, auctoritas per se gravior est, hic vero etiam a Plutarcho (Pelop. 29) adjuta est.

[4]) Puto, hos illos a Polyphrone expulsos esse de quibus supra dixi. Neque enim ab alio Larissaeos in exsilium ejectos esse, traditum est.

que exercitu Larissam ducto, primo urbem, in quam a civibus accipiebatur, tum arcem occupavit, Pheraeorum praesidio facile, ut videtur, oppresso. Deinceps etiam, postquam Crannon ei tradita est, etsi ambas urbes se redditurum esse promiserat, tamen et Larissae et Crannone copias Macedonicas reliquit, Alexandrum autem Pheraeum, cum ei resistere jam non auderet, Pheras se recipere passus est. Itaque Thessali, quum Macedonis auxilium non multum profuisset, a Thebanis petierunt, ut contra tyrannum auxilia mitterent (Diod. XV. 76; Plut. Pel. c. 26). Quorum jussu Pelopidas (369) cum exercitu Larissam profectus, Macedonum copiis expulsis Alexandrum Pheraeum facile superavit. Hic etiam sua sponte Pelopidam convenit atque supplicibus verbis orabat, ut sibi parceret. Qua in re maxime nos offendit ignavia Alexandri, cui Pelopidas sicut puero convicia fecit atque, quantopere feritatem ejus indignaretur, tam aspere dixit, ut tyrannus cum satellitibus quam celerrime aufugeret. Quo facto Pelopidas in Macedoniam profectus inter Alexandrum Macedonem et Ptolemaeum Aloritam pace conciliata Thebas rediit, quo Philippum regis fratrem obsidem secum ducebat.

Anno autem interjecto (Plut. Pel. c. 27; Diod. XV. 71) quum Thessali ab Alexandro, quae promisisset, non servari denuo questi essent, iterum (368) Pelopidas et Ismenias in Thessaliam legati sunt, qui de integro Alexandrum moverent, ut justiore ac moderatiore uteretur imperii tenendi ratione. His ex

Macedonia, qua in terra controversias denuo excitatas sedaverant, in Thessaliam profectis apud Pharsalum Alexander obviam venit. Quem sui defendendi causa venisse quum putarent, ab omni suspicione valde remoti ad eum se contulerunt, non quod ullam fiduciam in ejus fide ponerent, sed quia fore ut Thebanorum iram vereretur, persuasum sibi habebant. Neque vero is erat Alexander, quem aut metus a periculo aut ratio a furore revocaret. Itaque summo gaudio, quibus injuriis Pelopidas eum affecerat, eas ulciscendi occasionem arripuit atque magno protectus exercitu Pelopidam et Ismeniam, duos viros inermes, qui paciscendi causa sine ullo praesidio ad eum venerant, comprehendit et in vincula abripuit. Quo scelere non solum foederum religiones turpissime violavit et hominem perfidissimum se praestitit, verum etiam sapientiae praecepta dementissime neglexit. Nam timere debuit, ne non solum Thebanorum et Epaminondae sed omnium Graecorum perpetuas inimicitias et odia susciperet neve quisquam esset, qui sibi ullius rei fidem haberet aut societatem suam tanti aestimaret. Quodsi quid pudoris in Graecorum animis resedisset ac non omnis honestas prorsus fuisset abjecta, profecto fieri non potuit, quin Alexandri culpam pœna confestim sequeretur. Neque vero quidquam jam apud Graecorum civitates valebat, nisi uniuscujusque brevissima utilitas. Simulatque igitur Thebani Alexandri perfidia irati hoplitarum octo milia et equitum sexcentos in Thessaliam mittere constituerunt, Athenienses Theba-

norum gloriae obtrectantes legatione Alexandri audita, hujus rebus se adjunxerunt (Demosth. contr. Aristocr. p. 600), trecentas naves et mille milites in Thessaliam miserunt (Diod. XV. 71), postea subsidiis ab Alexandro acceptis (horribile dictu!) publice in foro aëneam statuam ei posuerunt (Plut. Pelop. c. 31).

Quum autem Alexander Pelopidam Pheras deduxisset atque Atheniensium copias jam accepisset (Diod. XV. 71), Thebani advenerunt non ab Epaminonda sed aliis Boeotarchis ducti. Pugnam committere constituunt sed a Thessalicis sociis, qui Alexandri exercitum et Atheniensium et aliorum copiis confirmatum timebant, deseruntur. Accedit, quod cibo et potione carent. Re infecta redire constituunt. Sed in itinere per planitiem profecti ab Alexandri equitibus vexantur atque tantas in augustias compelluntur, ut neque subsistendi neque procedendi facultas sit, quo se vertant aut quid agant, non habeant. Victus etiam penuria accedit. Summo in periculo exercitus est. Verum Epaminondas privatus adest. Qui a militibus dux creatus suo ingenio exercitum servat ac feliciter Thebas ducit.[5]) Alexander autem, cujus impudentia ac crudelitas prospero et necopinato sceleleris eventu in dies corroborabatur, anno sequenti (367)[6]) quum Scotussae et Meliboeae incolas, concilio

[5]) Quod Paus. IX. 15 Pelopidam jam tunc liberatum esse tradit, in eo abhorret a Diodoro et Xenophonte.

[6]) Pausaniam (VI. 5) a temporis computatione aberravisse Sievers (p. 331 adn. 40) probavit.

convocato, armatorum turba circumdedisset atque trucidavisset, mortuorum corporibus in fossam injectis urbem militibus diripiendam tradidit et feminas liberosque vendidit (Diod. XV. 75. Plut. Pel. c. 29). Cui inauditae et incredibili ferocitati fore ut tandem ab Epaminonda, quo duce Thebani jam tertium in Thessaliam proficiscebantur, tyranno depulso finis imponeretur, Thessali sperabant. Quae spes eos fefellit. Nam Epaminondas, quum de amici dilectissimi vita sollicitus timeret, ne Alexander, si eum desperatio occupasset, sicut bestia Pelopidam laceraret, amici saluti gloria, quam adipisci poterat, postposita, de industria bellum traxit, copias huc atque illuc circumduxit, diligentissime cavit, ne Alexandrum irritaret atque in furorem impelleret. Hoc modo timore sensim ferocem tyranni animum devicit, ut ista, qua solebat, ignavia pugnam effugeret atque ad Epaminondam legatos mitteret, qui ab hoc veniam peterent. Qui quamquam Alexandrum neque societate neque amicitia dignum existimabat, tamen laetus, quod Pelopidam liberaret, triginta dierum inducias fecit atque Pelopidam et Ismeniam in libertatem vindicatos Thebas reduxit. Quo expeditionis exitu quamquam Epaminondas Pelopida liberato id, quod tunc ante omnia volebat, consecutus erat, tamen Thebanorum auctoritas, quae apud Thessalos usque ad hoc tempus multum valuerat, valde imminuebatur. Neque enim Epaminondas Alexandrum, ut meritus erat, gravissimo supplicio affecerat et Athenienses etiam societate cum tyranno conjuncti erant,

cui, quantum apud eos pecunia ejus valeret, amplissimis honoribus, quibus eum decorabant, demonstrabant. Accessit quod Pelopidas in Persiam legatus poenas ab Alexandro repetendas in aliud tempus differre coactus erat nec non Epaminondas sequentes annos multis rebus in Peloponneso erat distentus. Quae quum ita essent, admirandum non est, ad tempus Thessalos ab Alexandro oppressos esse neque jam continuis ejus flagitiis ausos esse resistere. Tyranni autem opes ita crescebant, ut denuo urbes Thessalicas mercenariis militibus occuparet ac Magnetes Achaeosque Phthioticos[7]), nonnullis urbibus praesidiis mu-

[7]) Plut. Pel. 31 dicit: *'Αλεξάνδρου δὲ τοῦ Φεραίου Φθιώτας καὶ 'Αχαιοὺς ἅπαντας καὶ τὸ Μαγνήτων ἔθνος ἔμφρουρον πεποιημένον.*"

Quem locum respiciens Sievers (p. 332) dicit: „Alexander legte Besatzungen in die Städte der Achäer, Phthioten und Magneter" et p. 333: „den Thebanern muss er ihre Städte wiedergeben, seine Besatzungen aus den Ländern der Achäer, Phthioten und Magneter ziehn."

Qua in re Sievers negligenti dicendi ratione usus est. Nam si Phthiotas ab Achaeis sejungit, Achaeorum nomine tantum Peloponnesi incolas significare potest. Peloponnesum autem Alexandrum unquam occupasse neque usquam commemoratum neque credibile est. Nam primum tantam potestatem, Jasonis etiam majorem, eum adeptum esse, nemo tradit, deinde anno 366 Epaminondas in Peloponneso morabatur (Clinton fasti). quocum ille in certamen venisset, si eo tempore Peloponnesum occupasset. Itaque apertum est, Plutarchi verba *Φθιώτας καὶ 'Αχαιούς* ita intelligenda esse ut Achajae Phthiotidis, tetradis Thessalicae, incolae nominentur, ac verbum *καί* mendo in orationem Plutarchi irrepsisse. Quae sententia valde adjuvatur Diodori Siculi auctoritate qui (XV. 80) quo loco eandem rem commemorat, his verbis utitur: *Μάγνητας δὲ καὶ τοὺς Φθιώτας 'Αχαιούς.*

nitis, penitus subjiceret (Plut. Pel. 31; Diod. XV. 80). [Magnetes igitur, quos Pherarum ὑπηκόους fuisse vidimus, ab Alexandro defecisse iterumque in ditionem ejus redactos esse elucet.] Quod quominus fieret ne a Pelopida quidem ex Persia redeunte impeditum est. Qui quamquam jam 366 ulciscendi cupiditate accensus in Boeotiam regressus erat, tamen Thebani eum ante annum 364 Thessalis auxiliari passi non sunt. [Quod Plutarchus (Pel. 31) tradit, Pelopidam extemplo post reditum in Thessaliam profectum esse, fallitur, quum Pelopidas 366 ex Persia redierit (Clinton fasti p. 124); solem autem Idibus Juniis 364 defecisse Dodwell probavit]. Thessali igitur, quum se celerrime a Pelopida adjutum iri confisi essent atque de integro contra tyrannum exsurrexissent, omni auxilio orbati, compluribus militibus interfectis, identidem ab Alexandro in fugam conjecti sunt. Anno autem 364 Pelopidam cum septem milibus hoplitarum profecturum vatum praedicta, quae propter repentinum solis defectum mortem praesagiebant, quamquam ut cives relinqueret, efficiebant, tamen non impediverunt, quominus ipse proficisceretur comitantibus trecentis militibus partim mercenariis partim Thebanis, qui militiam voluntariam profitebantur. Thessaliam autem nactus apud Cynoscephalas Alexandrum quidem devicit, ipse vero interfectus est. Quod quum audivissent Thebani exercitu septem milium peditum et septingentorum equitum maxima celeritate contracto Alexandrum jam priori proelio attenuatum atque in angustias adductum Mal-

cita et Diogeitone ducibus iterum superaverunt atque conditiones, in quas cum tyranno pax fieret, has conscripserunt: Quas urbes occupasset, eas Thessalis restitueret, Magnetes et Achaeos Phthioticos praesidiis Pheraeis liberaret, quidquid Thebani jussissent, id se facturum esse jurejurando promitteret. Quas gravissimas conditiones accipere ultima necessitate cogebatur.

In his rebus narrandis a Grotio, (Uebersetz. Meissner V, 506, 518, 520, 522, 533, 535, 536, 555) qui quatuor expeditiones a Pelopida in Thessaliam factas esse existimat, ita abhorreo, ut meae sententiae causas eaque argumenta, quibus Grotium refutari puto, hoc loco afferre debeam.

Ac primam quidem Pelopidae expeditionem, quam a Diodoro XV. 77 et a Plutarcho Pel. 26 narratam esse adhuc omnes consenserunt, Grote tantum a Diodoro XV. 67 commemoratam, a Plutarcho plane omissam esse existimat, expeditionem a Plutarcho Pel. 26 commemoratam aliam et quidem alteram Pelopidae expeditionem esse contendens. Negat enim Philippum Macedonem anno 369 a Pelopida obsidem Thebas duci potuisse quia, Alexandro anno 368 mortuo, libertate non orbatus sed in Macedonia versatus esset. Itaque Diodorum, quod hoc prima Pelopidae expeditione factum esse tradat, falli, Plutarchum eandem rem referentem non primam sed alteram Pelopidae expeditionem narrare. Quodsi re vera Philippus anno 368 in Macedonia fuisset, fieri non potuit, ut 369 obses Thebas duceretur, quia tres annos Thebis ver-

satus esse traditur (Justin. VII. 5). At qua causa nisus Grote hoc contendit? Aeschinis auctoritate, qui (de fals. leg. p. 98) narrat, Eurydicen, Amyntae uxorem, postquam cum Perdicca et Philippo filiis post Alexandri mortem ad Iphicratem confugisset, Philippum in gremio hujus collocasse atque filii precibus Atheniensensem commovisse, ut Pausaniam ex Macedonia expelleret atque Amyntae liberis imperium compararet. At primum Grote ipse concedit, Aeschinis loco nos non cogi, ut Eurydicen confestim post Alexandri mortem Iphicratem convenisse reamur. Deinde quod Aeschines narrat, id tantum abest, ut inter omnes constet, ut a multis viris velut a Flathio (Geschichte Macedoniens I. p. 39—47) et a Sieversio in summam dubitationem vocatum sit. Quam hoc argumento praecipue fulciunt, quod Philippus, quum jam tunc quatuordecim annos natus esset, in Iphicratis gremio positus ei maximam exhibuisset molestiam. Huc accedit quod Aeschines levis nec satis fidus auctor est, qui saepe consilio mentiatur. Denique non solum ex Diodoro sed etiam ex Plutarcho et ex Justino (VII. 5) elucet, Alexandro vivo Philippum Thebas ductum esse, quod Grote plane neglexisse videtur. Itaque neque quod Aeschines tradit, verum esse probatum est, neque si verum esset, Diodori, Plutarchi, Justini narrationis consensum refutaret. Nihil igitur est, cur sumamus, a Plutarcho primam Pelopidae expeditionem omissam esse, neque dubium est, cum Plutarchus (Pel. 26) easdem res tradat, quas Diodo-

rus (XV. 67), quin uterque scriptor eandem, scilicet primam, Pelopidae expeditionem narret.

Item Diodorus (XV. 75) et Plutarchus (Pel. c. 27) ita consentiunt, ut etiam his locis eandem scilicet alteram Pelopidae expeditionem (368) referri apertum sit. Etenim uterque tradit, Pelopidam et Ismeniam paciscendi causa in Thessaliam profectos et ab Alexandro comprehensos esse. Quos ut liberaret, primo Thebanorum exercitui non contigisse, quia ab Epaminonda ductus non esset. Liberatos autem esse Pelopidam et Ismeniam Epaminonda duce ab altero exercitu. Qui consensus neque a Diodoro turbatur, cum Pelopidam, priusquam captus esset, in Macedoniam profectum, ab eoque iterum obsides Thebas missos esse tradit, neque a Plutarcho, cum Epaminondam privatum primo exercitum prosecutum esse refert. Nam hae res inter se non repugnant, sed se invicem supplent. Nihilominus Grote, quam Diodorus (XV. 71) tradat, secundam, quam Plutarchus (Pel. 27) narret aliam scilicet tertiam Pelopidae expeditionem esse, quam Diodorus omiserit, contendit. Hanc anno 366 a Pelopida factam esse, qui hoc demum anno comprehensus sit. Diodorum autem, cum hoc jam 368 factum esse referat, errare neque Plutarchum recte tradere, tertium Pelopidam in Thessaliam profectum esse, priusquam in Persiam legatus esset. Ante hanc enim legationem susceptam id est ante 367 Pelopidam ab Alexandro captum esse, Grote negat, tribus causis commotus, quarum haec prima est: Pelopidas eo tempore ab

Alexandro captus est, quo Epaminondas neque boeotarches neque dux Thebanorum erat. Grotii autem opinione Epaminondas extremo denum anno 367, cum ob res in Achaja gestas accusatus fuisset, et boeotarchia et imperio orbatus est. Quae conjectura omni caret firmamento. Nam Diodorus (XV. 72) planissime dicit, anno 369 Epaminondam a munere amotum esse, quia Lacedaemoniorum acie apud Corinthum perfracta victoria satis usus non esset. At hoc recte Diodorum tradere Grote iterum negat. Epaminondam enim, cum fracta hostium acie fortissimum heroem se praestitisset, non poena sed maximo praemio dignum fuisse. At Diodorus ait, Thebanos iratos fuisse de negligente victoriae usu, non de ipsa victoria, (cujus gloriam forsitan Thebani non adeo agnoverint, quam Grote). Quod autem Grote Xenophontem (Hell. VII. 1, 43) laudat, Thebanos rebus ab Epaminonda duobus annis post in Achaja gestis offensos esse referentem, hac re Diodorum nullo modo refutat. Neque enim Xenophon hanc ob rem magistratum Epaminondae abrogatum esse tradit. Quid vero est, cur fieri non potuerit, ut Thebani 369 Epaminondam munere orbarent, 367 offenderentur ejusdem ratione res in Achaja gerendi? Non igitur Grote probavit, Epaminondam anno 368 boeotarchen non fuisse, quod demonstrandum ei erat.

Altera causa, qua Grote opinionem suam tuetur a Xenophontis silentio repetita est. Hunc enim, quum in describenda legatione uberius exposuerit, cur Pe-

lopidae, se comiter exceptum iri, sperandum esset, quibusque in rebus ille gloriari posset, pro animo suo in Pelopidam inimicissimo, si hic ante legationem captus fuisset, utique commemoraturum fuisse quanta contumelia captivitate Pelopidas esset affectus. Xenophontem autem, Pelopidam captum esse, ne verbo quidem attigisse. Non igitur ante legationem hoc factum esse. Cui argumentationi oppono primum, quod Grote ipse non negat, ea argumenta, quae ex Xenophontis silentio conclusa sint, certissima non esse, deinde captivitatem Pelopidae injunxisse ignominiam nego. Pelopidam calamitate, contumelia Alexandrum affecit. Ignominia igitur Xenophon non Pelopidam sed Pelopidae hostem notasset, si Pelopidam captum esse commemorasset. Itaque quum Xenophon Pelopidam odisset, major causa erat, cur, quod factum esset, reticeret, quam cur narraret.

Denique Grote Polybii auctoritate nisus explicat, quantopere Pelopidae imprudentia ac temeritas vituperanda esset, nisi excusatio ulla afferri posset. Excusari autem Pelopidam non posse nisi ante divulgatis Persarum regis litteris, quae minitatae essent, qui Thebanorum imperio secutus non esset, eum Persarum armis punitum iri. At si Pelopidas fiducia in Alexandri metu Thebanorum collocata non defenditur, num excusari posset, si ab illo Persarum litteras respectum iri putasset, quorum auxilia quam incerta essent inter omnes constaret?

Hac ratione quae argumenta Grote attulit, ut Pelopidam, priusquam in Persiam profectus esset, captum non esse probaret, ea refutata esse existimo, neque ulla causa restat, cur Diodorum (XV. 71) et Plutarchum (Pel. 27) eandem rem, scilicet secundam Pelopidae expeditionem, descripsisse negemus. Inde vero etiam sequitur, ut quam Diodorus (XV. 80) et Plutarchus (Pel. 32) narrant, ea tertia non, quod Grote opinatur, quarta Pelopidae expeditio sit.

Redeamus igitur ad Alexandrum. Qui pacis conditionibus Thessaliae imperio orbatus re vera Thebanorum praecepta servasse videtur. Nam anno 362 Epaminondae, exercitum in Peloponnesum ducenti, copias auxilio misit, quae apud Mantineam a Thebanorum parte stabant (Xen. Hell. VII. 5, 4; Diod. XV. 85). Quod autem potestatis Thebanorum victoria perdiderat, id ut alio modo sibi recuperaret, operam dedit, perfidia ista quam novimus iterum usus. Nam ipsis Atheniensibus, qui eum in summum discrimen adductum auxilio adjuverant, inimicissimum se praestitit, eos mari omni ratione vexans navesque eorum diripiens. Hoc modo fere tempore pugnae apud Mantineam commissae nonnullas Cyclades expugnavit, (Diod. XV. 95) quarum in numero Tenos erat (Demosth. *πρὸς Πολυκλέα* p. 1207) atque navibus ad Peparethum insulam appulsis Peparethum urbem obsidebat (Diod. XV. 85), cum repente pars ejus classis, quam Athenienses extremo mense Augusto anni 362 (Dem. *πρὸς Πολυκλ.* 1207) comparaverant, advenit et Alexandri mi-

lites inclusit.[8]) Sed Alexander navibus, quae apud Pagasas in ancoris stabant, ignibus significatione facta, Leosthenem subito oppressum devicit, sex triremibus et sexcentis militibus captis. (Polyaen. strat. VI. B. 1; Diod. XV. 95). Qua clade irati in Leosthenis capitis damnati locum Charen substituerunt. Qui tantum abfuit, ut officio bene fungeretur, ut bello cum Alexandro neglecto Corcyrae seditiones excitaret (Diod. XV 95). Nihil igitur mirum, quod Alexandri procacitas ita augebatur, ut haud ita multo post pugnam apud Peparethum commissam incursione in Piraeum facta mensas argentarias in deigmate collocatas diripere auderet (Polyaen. strat. VI. B. 2). Hoc modo non solum in summam civium invidiam sed etiam in omnium sociorum odium vocabatur. Tandem, patria per undecim annos turpissime cruciata, anno 359 (Clinton fasti: ad annum 359 et appendix 15 de Alexandro Pheraeo) a Thebe uxore, Tisiphone, Pytholao, Lycophrone, ejus fratribus, necatus est. (Plut. Pel. 35; Diod. XVI. 14; Xen. Hell. VI. 4, 34; Cic. de off. II. 7.) Atque adeo Pheraeorum animi exacerbati erant, ut corpus tyranni in publicum projectum pedibus ferirent, tyrannicidas autem in summis laudibus haberent (Diod. XVI. 14) Thebe autem, Alexandri militibus au-

[8]) Sievers (p. 334) putat, classem ab Atheniensibus missam esse, priusquam ab Alexandro Tenos expugnata fuisset. At Demosthenes (πρ. *Πολυκλ.* 1207) nos docet, eo tempore, quó Athenienses classem mittere constituerent, eos jam scivisse, Tenum ab Alexandro expugnatam esse.

ro pellectis, Tisiphono fratri natu maximo, tyranni nomen, imperium sibi ipsi attribuit. (Diod. XVI. 14; Xen. Hell. III. 4, 37; Conon apud Photium. narr. 50).

§. 7.

Quamdiu Tisiphonus tyrannidem obtinuerit, ex veterum scriptis intelligi non potest. Hoc quidem patet, eum, quum Xenophon Hellenica scriberet, in vita fuisse. Hic enim (Hell. VI. 5, 1.) tradit: Dum haec scribo, Tisiphonus in regno est.

Odii, quod Alexandro scelera conflaverant, initio haud immemor fuisse atque regni quadam lenitate usus esse videtur. Mox autem eum Thebes imperium abjecisse, Lycophronem fratrem sibi cooptasse, se Alexandri similem praestitisse apertum est. Nam inter annum 357 et 356 a Tisiphono et Lycophrone adversarios interfici imperiumque per vim teneri audimus (Diod. XVI. 14). Quod ultra Pherensium fines de integro protulerunt; constat enim, multa eos Thessaliae oppida expugnavisse. Quae illa fuerint quamquam Diodorus non tradit, hoc tamen patet, Magnesiam eos recepisse, qua Alexander Thebanorum jussu cesserat. Liberaturum enim se esse Magnesiam Philippus postea Thessalis promittit (Demosth. Olynth. II. 20). Praeturam eos assecutos esse quamquam verisimile est, testimonio tamen nullo comprobatur. Prohibebant quidem, quominus imperium propagarent, Aleuadae. Qui quum soli infirmiores essent, Philippus Macedonum rex, auxilio vocatus, ubi Thessa-

liam intravit, bello tyrannis illato, Thessaliae oppida liberavit, sibique omnium Thessalorum animos conciliavit. Quum tyrannos intra Pherarum fines pepulisset (ipsis enim Pheris eos nondum ejectos esse hinc intelligitur, quod Lycophron pluribus annis post res Pheraeorum gessit) in Macedoniam rediit. At breve tantum tempus Thessali a tyrannorum violentia tuti sunt. Dum enim bello sacro cum Phocensibus gesto distrahuntur, Lycophron (Tisiphonus interea mortuus videtur esse) in pristinum statum res restituere studebat. Denuo Philippus a Thessalis vocatus auxilio proficiscitur inter annum 353 et 352 (Diod. XVI. 35). Tum vero Lycophroni a Phocensibus Thessalorum inimicissimis opem petenti Phayllus, Onomarchi, illorum ducis, frater quatuor milibus militum auxilio mittitur. Quo a Philippo victo et ex Thessalia expulso Onomarchus cunctis copiis sperans se omnem Thessaliam superaturum esse, cum advenisset, Philippum duobus proeliis devictum in eas augustias deduxit, ut milites ille, qui obsequium omittere inciperent, aegre in officio contineret et in Macedoniam se reciperet. Dum autem Onomarchus expeditione in Boeotiam facta Boeotos vincit, Philippus in Thessaliam redux Lycophroni denuo bellum infert. Cui auxilio Phocensium egenti, quibus Thessalorum res in eorum commodum se versurum esse promiserat,[9]) Onomarchus viginti

[9]) Ex Diodori verbis: „*ἐπαγγελλόμενος συγκατασκευάσειν αὐτοῖς τὰ κατα τὴν Θεσσαλίαν*“ quod Grote voluit (Meissner Uebers.

milibus peditum et quingentis equitibus auxilio venit. At cum Philippo universi Thessali, quod iis pollicitus erat, se bellum Phocense in eorum usum gesturum Magnesiamque iis traditurum esse, (Dem. Olynth. II. 20) magno studio et favore consociabantur, ut et ipse vim vicies mille peditum et ter mille equitum complecteretur. Quorum copia Thessalorumque equitum virtute Phocenses fugavit, sex milibus militum interfectis, tribus milibus captis, Onomarcho ipso necato (Diod. XVI. 35). Qua victoria usus Philippus e vestigio Pheras aggressus est, quas Lycophron et Pytholaus, (qui in Tisiphoni locum a Lycophrone videtur cooptatus esse) cum resistere non possent, ei tradiderunt. Exinde induciis cum Philippo factis circiter cum duobus milibus militum (copiarum reliquiis) ad Phayllum se contulerunt, Phocenses adjuturi (Diod. XVI. 37). Mox Archidamo, Lacedaemoniorum regi, cum Megalopolitanis belligeranti opem tulerunt (Diod. XVI. 39). Philippus autem facillime Pagasas,[10]) quas obsidione liberare Athenienses non poterant (Demosth. Phil. I. p. 50) et Magnesiam (Dem. Olynth. I. p. 11 et 12) expugnavit. Expulsis tyrannis Pagasisque captis una cum opportunissimo totius orae portu, eam

VI. 234) scilicet, Lycophronem Phocensibus promisisse, se omnem Thessaliam in eorum imperio tenturum esse, ego repetere non potui.

[10]) Falso Diodorum (XVI. 31), si quidem „*Παγασάς*“ pro „*Παγάς*“ legendum sit, tradere, Pagasas prius quam Pheras captas esse, Grote demonstravit.

potentiam assecutus est, ut vectigalia ex portubus et macellis exacta Thessali ei traderent eumque praetorem (τάγον) Thessaliae crearent (Dem. Olynth. p. 15; Justin XI. 3). Ceterum paullo post non mediocris Thessaliae pars ei obnitebatur. Etenim jam anno 350 (quo anno orationes Olynthiae habitae sunt) Thessali postularunt, ut praesidia Pagasis removeret, Magnesiam munire omitteret, portuum et macellorum reditus, in rem publicam vertendos, sibi percipere absisteret (Olynth. I. 15, II. 21). Quibus discordiis erectus cum Pytholaus tyrannus Pheras rediisset (anno enim 349 secundum Diod. XVI. 52 Pheris versatus), Philippus, ne Thessalorum animos a se abalienaret, iis et Magnesiam reddere et Nicaeam urbem attribuere coactus est.[11]) (Demosth. Phil. II. 71). Qui quum multorum animis denuo sibi conciliatis Pytholaum iterum Pheris expulisset (Diod. XVI. 52) magnam tamen Thessalorum partem in adversariorum loco habebat, velut Halo anno 347 armorum vim inferret (Dem. περ. παραπρ. 392) necesse erat. Etiam Pheraei, cum a Thebanis et Thessalis in sacri belli societatem vocatus exercitum contra Phocenses contraheret, Thermopylas eum sequi recusaverunt. Tamen sive quod fatum Halensium, qui patria ejecti et urbem funditus deletam (περὶ παραπρ. 353) et agrum Pharsaliis donatum (Dem. πρ. ἐπ. Φιλ. 152) dolebant, eos deterruerat, sive quod pol-

[11]) Grote (Uebers. VI. 386) anno 339 demum Thessalis Philippum Nicaeam dedisse vult. At haec res a Demosthene jam in secunda Philippica oratione 344—343 habita commemoratur.

licitus se Thessalos in Amphictyonum concilii societatem recepturum esse (*τὴν Πυλαίαν συγκαταστήσειν* Dem. *περὶ παραπρ.* 443) iterum omnium animos sibi conciliaverat, impune ille per Thessaliam Pheras profectus in popina prope Castoris et Pollucis templum adversus Atheniensium legatos jure jurando se obstrinxit. Quamquam haud admodum Pheraeis videtur confisus esse, qui dum Pheris esset, non nisi in castris versaretur. Demosthenes enim (*περ. παραπρ.* 396) cum, quam familiaris Aeschines cum Philippo fuerit, exponere vult, illum noctu Philippi tentorio exiisse tradit. Jam cum Phocensibus devictis Philippus Thermopylis potitus Thessalos in Amphictyonum concilium ascivisset (Dem. Phil. II. 71), in tantam populi gratiam venit ut a Thessalis patriae lux et salus haberetur. Ita enim illorum animi ei addicti erant, ut eos, qui forte aliter judicarent, ne audire quidem vellent (Dem. de cor. p. 240). Itaque Thessalorum legati ad Athenienses se contulerunt, eos adducturi, ut Philippum in Amphictyonum concilium recipiendum decernerent. (Dem. *περ. παραπρ.* 375). Ceterum cum anno 346 Philippus ab Amphictyonibus Pythiis celebrandis praefectus ab ipsis Atheniensibus in suffragatorum numerum receptus esset, tantam potentiam adeptus erat, ut persona demta Thessalis patefaceret, se eos non in sociorum numerum referre sed deditorum loco habere. Etiamtunc in Aleuadas, quorum maxime opera Thessalia potitus erat, inimicum se praebuit (Polyaen. IV. 2, 11; Dem. de cor. 241) ita ut ex eo tempore in omnium odium

venisse videatur. (Dem. Phil. II. 71; *περ. παραπρ.* 424; *περ. τῶν ἐν Χερ.* 105). Nescio an eodem tempore Demosthenes legatus in Thessaliam abierit, cujus legationis in oratione de cor. 308 mentio fit, alio loco nulla. Existimo enim, qua ira illo maxime tempore Thessali in Philippum affecti erant, ea Demosthenem uti voluisse, ut eos in belli societatem contra Philippum gerendi induceret. Quodsi bene conjeci, Pheris potissimum versatus videtur esse quippe in quibus potentissima Philippi adversariorum pars inesset, id quod patet consideranti, quantam vim Pheraeis intulerit. Moenia enim Pherarum impetu oppugnavit, (*περ. τῶν ἐν Χερ.* 104)[12]) in arce praesidium collocavit. (*περ. Ἁλονν.* 84). Verum enim vero longe superior erat, quam cui Thessalorum defensio obtrectare posset. Quos ut omnino frangeret, Thessalorum rem publicam evertit (Dem. Phil. III. 117) et terram, decadarchia (Dem. Phil. II. 71) et tetrarchia (Dem. Phil. III. 117) constituta, in provinciae formam redegit. De qua re multi viri egerunt: Fr. Jacobs (Staatsreden des Dem. Anm. zu Phil. II. 71;) Schaefer (app. crit. tom. I. p. 425 not.); Voemel (Frankfurt 1830 Progr.); optime du Mesnil (p. 31).

Hic ad singularis Pherarum historiae, scilicet a dominatione aliena liberarum, exitum pervenimus.

---

12) Verba illa: „*ἐκεῖνος μὲν γὰρ οὐ πολεμεῖν ἡμῖν ἐρεῖ ὥςπερ οὐδὲ Φεραίοις πρότερον πρὶν ἢ πρὸς τὰ τείχη προςβαλεῖν αὐτῶν*“ non ad bella cum tyrannis gesta referri, ut alii conjecerunt, apparet. Neque enim, cum tyrannis arma inferret, ullam amicitiam simulavit.

VITA.

Ego Julius Leopoldus Liebinger natus sum Berolini a. d. IV. Cal. Jun. anno h. s. XXXVI. patre Samuele Liebinger, med. et. chir. doctore, medico pract. quem praematura morte mihi anno h. s. LX. ereptum esse lugeo, matre Bertha e gente Caro, quam adhuc viventem per longam annorum seriem incolumen mihi servet Deus O. M. oro precorque. Fidem profiteor judaicam. Primis litterarum elementis imbutus in schola, cui adhuc praeest Marggraf, vir egregius, Gymnasium Leucophaeum Berolinense, quod auspiciis Cel. Bellermanni floret, adii. Directori Bellermanno nec non professoribus Cell. Papio, Hofmanno, Curthio ob egregia erga me merita gratias ago maximas. Ibi cum sex annos versatus essem maturitatis testimonio instructus Nonis Aprilibus anno h. s. LVI. inter Fridericae Guilelmae Berolinensis cives receptus sum. Ubi postquam per duos annos in juris studium incubui, tantus me cepit litterarum Graecarum Latinarumque amor, ut studiis philologicis me dedere constituerem. Per duos annos

audivi scholas virorum doctissimorum: Boeckhii, Hauptii, Trendelenburgii, Hirschii. Quadriennio academico peracto privatis studiis operam dedi usque ad hoc tempus, quo in Universitate Litteraria Fridericiana Halensi cum Vitebergensi consociata summos in philosophia honores rite impetravi.

THESES.

1. Recte Suevernius in Sophoclis Oed. Col. 1373 conjectura scripsit ἐλεῖ.
2. Oed. tyr. 696 defendo scripturam Laur. A. pr. m. δύναι h. e. δύνᾳ.
3. Ovidii Fast. III, 500 rectissime Nic. Heinsius scripsit: laudi est.
4. Trist. III. 5, 3 necessaria est conjectura olim facta Nec pro Ni.
5. Grote non recte suscepisse videtur Cleonis defensionem.